


60045/B





1
p. C. 40-5
2
FREDERICI RUYSCHII

Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Cæsareæ Curiosorum Collegæ, nec non Regiæ Societatis Anglicanæ Membri

O P E R A

O M N I A


ANATOMICO - MEDICO-
CHIRURGICA.

HUC USQUE EDITA.

Quorum

Elenchus pagina sequenti exhibetur.

CUM FIGURIS ÆNEIS.



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS.

M. D. C. C. XXI.

95000


[Faint, illegible text at the top of the page]

О Р Е Ч
О М И О
А М Т О
С И Р У Р С И А

UNIVERSITY
CANCELLED

[Faint, illegible text below the cancelled stamp]

WELLSOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



AMSTEL O DAMI

M D C C X I

E L E N C H U S
O P E R U M
R U Y S C H I A N O R U M

Hactenus

E D I T O R U M.

Frederici Ruyschii Dilucidatio Valvularum in Vasis Lymphaticis & Lacteis, cum figuris æneis. accesserunt quædam Observationes Anatomicæ rariores.

Observationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria. accedit Catalogus Rariorum quæ in Musæo RUYSCHIANO afferuntur. adjectis ubique Iconibus æneis naturalem magnitudinem repræsentantibus.

Joannis Gaubii Epistola Problematica, prima, ad Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium* M. D. Anatomiam ac Botanicæ Professore. de Pilis, Pinguedine, Septoque Scroti; nec non de Papillis Pyramidalibus; ut & de Corpore Reticulari, sub Cuticula sito, &c.

Joannis Gaubii Epistola Anatomica, Problematica secunda, ad Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium* M. D. Anatomiam, ac Botanicæ Professore; de Artificiose Scroti Humani induratione, ejusque Vasorum Sanguiferorum cursu ac Copia; ut & de Arteriis per Costarum periostrium, spatia Costarum intercartilaginea, Pericardium, &c. disseminatis.

Joannis Gaubii Epistola Anatomica, Problematica Tertia, ad
* 2
Virum

Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium*. M. D. Anatomiae ac Botanices Professore; de Arteriis per cordis substantiam, ejusque Auriculas dispersis, ut & de egressu Arterii Aortae à cordis Tholamo sinistro.

Epistola Anatomica, Problematica quarta, ad virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium*, M. Doct. Anatomiae ac Botanices Professore. de Glandulis, Fibris, Cellulisque Lienalibus &c. Authore *Job. Jac. Campdomerco*.

Epistola Anatomica, Problematica Quinta; Authore *Gerardo Frentz*, M. D. ad Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium* M. D. Anatomiae ac Botanices Professore. de Vasis sanguiferis Perioestii Tibiae, ut & viis, per quas Vesicula fellea sarcinem acquirit.

Epistola Anatomica, Problematica Sexta, Authore *Johanne Henrico Gratz*, ad Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium* M. D. Anatomiae ac Botanices Professore. de Arteria & Vena Bronchiali, nec non de Polypis Bronchiorum ejectis, Venae & Arteriae Pulmonalis ramos mentientibus.

Epistola Anatomica, Problematica Septima. Authore *Joanne Henrico Gratz* ad Virum Clarissimum *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. ac Botanices Professore, de Pia Matre, ejusque Processibus.

Epistola Anatomica, Problematica Octava. Authore *Johanne Henrico Gratz* ad V. C. *Fredericum Ruyschium* Med. Doct. ac Bot. Professore. de Structura Nasi Cartilaginea, vasis sanguiferis Arteriosis membranæ & Cavitationis tympani & ossiculorum auditus eorumque perioestio.

Epistola Anatomica Problematica Nona. Authore *Andrea Ottomaro Goelicke*, M. D. ad V. C. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. & Bot. Prof. de Cursu Arteriarum per Piam matrem cerebrum involventem, de tertia cerebri meninge, de arteriis membranarum cavitates Ossis frontis supra narium radices & eas sub sella equina investientium, nec non de vasis arteriosis novis Hepatis & Diaphragmatis.

Epistola Anatomica, Problematica Decima, Authore *Bartholomaeo*

mao Keerwolff M. D. ad V. C. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. ac Bot. Prof. de Auricularum Cordis, earumque fibrarum motricium structura.

Epistola Anatomica, Problematica Undecima. Authore *Job. Christ. Wolf*, Anhaltin. M. L. ad V. C. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. & Bot. Prof. de Intestinorum Tunicis, Glandulis, &c.

Epistola Anatomica, Problematica, Duodecima, Authore *Mich: Ernesto Ettmullero*, M. D. &c. ad Virum Clariss. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. & Botan. Profess. de Cerebri Corticali substantia &c.

Epistola Anatomica, Problematica, tertia & Decima. Authore *Christiano Wedelio*, ad V. C. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. ac Bot. Prof: de Oculorum tunicis.

Epistola Anatomica, Problematica, quarta & Decima. Authore *Mauritio a Reverborst*. M. D. & Anat. Prof. ad V. C. *Fredericum Ruyschium*, de nova Artuum Decurtandorum Methodo.

Epistola Anatomica, Problematica, Quinta & Decima. Authore *Alberto Henrico Gratz* ad V. C. *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. & Bot. Prof. de Vasorum sanguineorum extremitatibus, Placentæ uterinæ, Mammarumque structura, &c.

Epistola Anatomica, Problematica Decima & Sexta ad Virum Illustrem *Fredericum Ruyschium* M. D. Anat. ac Bot. Prof. de Viis absconditis Pulmonum, quibus aër, respirando receptus, in sanguinem penetrat; nec non de Vasorum secretorium structura Mechanica, & de fibrillarum pervearum in Cerebro principiis. Autore *Abraamo Vaterno*, Vitemb. Medicin. Studiofo.

Responsio ad *Godefridi Bidloi* libellum, cui nomen Vindiciarum inscripsit.

Joan. Jacob. Rau Responsio ad qualemcunque Defensionem *Frederici Ruyschii*, quam haud ita pridem edidit, pro Septo-Scroti, in qua hujus litis Anatomicae detegitur Origo: & Septum Scroti, ab ipso descriptum & delineatum fictitium esse, clare demonstratur. adjuncta est hujus calci Auctoris Epistola de Inventoribus Septi Scroti.

Adversariorum Anatomico Medico Chirurgicorum Decas Prima. in qua varia notatu digna recensentur, cum figuris Æneis. cui adjuncta est *Mich. Ern. Etmulleri* Epistola Problematica ad *V. C. Fredericum Ruyschium* de Ovario Novo.

Adversariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum Decas Secunda.

Thesaurus Animalium Primus cum figuris Æneis.

Thesaurus Anatomicus Primus.

Thesaurus Anatomicus Secundus.

Thesaurus Anatomicus Tertius.

Thesaurus Anatomicus Quartus.

Thesaurus Anatomicus Quintus.

Thesaurus Anatomicus Sextus.

Thesaurus Anatomicus Septimus.

Thesaurus Anatomicus Octavus.

Thesaurus Anatomicus Nonus, in quo varia, circa corpus humanum notatu digna, occurrunt. cum figuris æneis.

Thesaurus Magnus & Regius qui est Decimus Thesaurorum Anatomicorum. in quo præcipue corporis humani partes, ceu in statu vivo, nitidissime præparatæ, reservantur.

In commodum eorum qui aliquot Volumina habent, singuli tractatus separatim poterunt haberi.

FREDERICI RUYSCHII
DOCTORIS MEDICI,
DILUCIDATIO
VALVULARUM

IN
VASIS LYMPHATICIS,
ET
LACTEIS.

CUM FIGURIS ÆNEIS.

Accesserunt

Quædam Observationes ANATOMICÆ rariores.



AMSTELÆDAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS,
MDCCLXX.

VIRIS

Excellentissimis Præclarissimis & Experientissimis

D^{N.} D. FRANCISCO

DE LEBOE SYLVIO,

Medicinæ Practicæ in Illustri Athenæo Batavo-Lei-
denfi Professore celeberrimo.

D^{N.} D. JOHANNI van HORNE,

Anatomiæ & Chirurgiæ in eadem Academia Professore
accuratissimo meritissimoque,

D^{N.} D. FLORENTIO SCHUYL,

Institutionum Medicarum in eodem loco Professore dex-
terrino, & Philosopho acutissimo.

*Omnibus & singulis Fautoribus & Amicis suis honoratissimis,
Hasce Messis suæ Anatomice primitias in gratitu-
dinis perpetuæ Τεμπρίων officiosè consecrat*

FREDERICUS RUYSCH

Med. Doct.

Candido Lectori

S. P. P.

FREDERICUS RUYSCHE.



Ummâ vi veritatis amans Lector, ne
patiat^r veritas, nitor, & nequid pu-
blicæ utilitati pereat, summis adni-
tar viribus. Fumivenduli non pau-
ci (quibus dulce est decipere) libellos,
in quibus vix scintilla Veritatis illucet,
indies conficiunt, ac publici juris facere non verentur,
modò popularem auram, vel lucrum proprium hinc
inde hauriant. Alii per ambages & ænigmata scripti-
tant, quo nauseam Lectoribus afferunt. Nec desunt,
qui, aut ex invidia, aut malitia, aut metu detectio-
nis imposturarum suarum, conantur pervertendo sub-
vertere, aut penitus obliterare, quæ alii multo sudo-
re invenêre, nobisque liberaliori animo obtulêre.
Sed nec talem, nec tale quid, Studiose Lector, hic
invenies. Solummodo enim ea, quæ per experien-
tiam (unicam & solam veritatis magistram) com-
probavi, luci expono. Nullâ utor *κενοφωνία*, dum
non mihi laudem inanem, vel turpe lucrum quæ-
ro, sed Reipublicæ prodesse studeo: nec *καινοφωνία*,
vanam gloriæ cupidinem relinquens, logodædalis,
qui malunt videri, quam esse. Concertationem cum
BILSIO nuperrime habitam, tibi promo, quam æ-
qua-

Candido Lectori.

quamquam legas, velim. *BILSIUS* per multos annos obstrepere non cessavit, neminem sibi posse ostendere in vasis lymphaticis valvulas, has in rerum natura exstare neganti: Ego è contra eas non solum in rerum natura exstare assero, ast illi quoque luculenter demonstravi. Ne censeas tamen, me adeò incautum, vel insulsum, ut alicui persuadere suscipiam, neminem ante me eas offendisse. Absit! *BARTHOLINUS*, *RUDBECKIUS*, *JOLIVIVUS*, *SYLVIUS*, *Van HORNE*, & alii ante me (quanquam non ita dilucidè) in Lymphaticis observarunt valvulas: modum verò vasa hæc separandi, eximendi, & porrò ita præparandi, ut discretè & distinctè in iis conspici possint. Valvulæ, apud neminem descriptum invenio. Ipse namque *BARTHOLINUS* (quem pro meritis semper colo) Lymphaticorum vasorum separationem non affecutus est, ut patet ex *Historia nova Lymphaticorum*. Fol. 235. *Valvula tenerrimæ texture ingressui in axillarem supra præponitur, quæ regressuræ aquæ obstat. Eaque sola observari potest. Non dubito, quin alibi quoque venis aquosis apponantur valvulæ, siquidem ne flatum admittant, versus extremum immissa, ob tunicæ tamen subtilem contextum cultro anatomico separari non possunt.* Videtur quoque ejusdem fuisse opinionis *OLAVUS RUDBECK* Vasorum Lymphaticorum perscrutator industrius, in sua *Exercitatione Anatomica de Ductibus Aquosis*, Cap. 10. fol. 314. *Multa in sectionibus anatomicis perquisitu difficillima esse fateor, inter quæ hæc Vasa* (loquitur de Lym-

Candido Lectori.

phaticis) non ultimum sibi vindicare locum videntur. Etenim plerumque nec obtusum, & subtilissimum stylum, nec cultelli aciem, nec siphonem, nec aliud quippiam instrumentum ferunt. Nullas quoque in figuris, hucusque impressis, Lymphaticorum valvulas videre licet, quamobrem eas exsculpendas curavi, & observationes quasdam rariores, hætenus non observatas adjeci, pluresque adjecissem, si hisce malignis temporibus zoilea calumnia & criminatio in omnes rariorum Promotores non grassaretur, ac deessent perlividi, qui semper Theonino dente aliena rodere fofent, sua verò tantum cernere, ac nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putare assolent. Hæc ergo sunt, quæ impræsentiarum artis filiis offero, non somnia, ut ignarum vulgus loquitur, nec inania otiosorum hominum commenta, sed vera & indubitata, quæ, ut veri amans, occultare, aut silentio involvere, nec debui, nec potui. Candidum Lectorem admonitum velim, ut scripta mea, non tam ex verborum cortice, quam ex naturæ viribus intelligat, ac singulos naturæ amatores, & indagatores, unicè rogo, ut meum benè de ipsis merendi studium, animo grato excipiant: sic me ad ulteriora, & altiora arcana investiganda, & Deo benedicente eruenda, ac tandem bonis communicanda, excitabunt.

Virum Clarissimum, Arteque fecandi & condiendi cada-
vera instructissimum,

D^N. D. FREDERICUM RUYSCH,

Valvulas vasorum lymphaticorum & lacteorum æneis figuris adumbratas, aliaque quædam nova inventa Orbi Erudito exhibentem.

DUm magis illustras magno, Vir Clare, labore
Valvas, quæis Lymphæ & lactea vasa scatent,
Sanguineumque novum toti Vas detegis Orbi,
Plurima vix ullis ante notata notas.
Vasa Chyli Lymphæque quidem satis hætenus ipsa
Cognita sunt, valvas nec latuisse scio:
Nemo tamen mage Te docet has, Vir Docte, diserte,
Clarius ac oculos hæ feriere tuos.
Quid? quod nunc primum quoque, Te præeunte, videre
Valvas, quas præbent lactea vasa, licet:
Vasque novum, cui magna dat ortum arteria, pulmo
Acceptum succum sanguineumque refert,
Vindice Te patefit: Tu cuncta hæc primus & edis
Ærato, famâ perpetuante, typo.
Hinc magna in minimis magnam sapientia laudem
Solerti curæ dat, studioque tuo.
Felix usque tuum rimari. Pectora docta
Hoc opus extollent, quæ tua scripta legent.
Scilicet haud parvus labor est, tractare minuta
Corporis, arcanas enucleare vias.
Macte Vir: Ulterius priscis ignota Magistris
Inquire, & culto pectore profer opes
Ingenii reliquas, ceu dignas luce, nec ultra,
Quæ tibi detexit sors peramica, preme.
Sic mox per totum celebraberis inclytus Orbem,
Teque Artemque tuam fama loquetur anus.

Hæc festinante & invitâ Minervâ con-
gratulationis & amicitia singularis pu-
blicè testandæ causâ pos. Lugd. Bat.

HUBERTUS KOHN,

Lubecensis, Med. Doctor.

In Egregium Virum

D^N. D. FREDERICUM RUYSCH,

Valvulas in Vasis Lymphaticis jamprimam illuminatè demonstrantem.

Quis *Lymphæductus*, primus monstraverit Orbi,
In dubio positum est, quæstio quippe gravis.
Haffnia Barthlinum, Rudbeckum Suecia jactat,
Scotigenam præfert Anglia Folivium.
Distribuatur honos, ne quis fraudetur honore,
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.
Ruyschius ingenuus prodit; benè vasa revolvens
Valvas conspicuas reddidit: atque libens
Eruit insignes *Novitates*, ritè relambit,
Pœonium dignas condecorare Chorum.
Sistas certamen *Bilsi*, placidissimè pergas,
Præmia palladio propria ferre viro.
Certo, nemo potest hæc tristi cernere vultu,
Cujus non nimius pectora livor habet.
Anceps cum fuerit, vincat si moribus artes,
Artibus an mores, par ab utrisque decus.

A. M. D. S.

In Præclarum Virum

D^N. D. FREDERICUM RUYSCH,

Arteriam hæctenus incognitam in Pulmonibus nuper revelantem.

Pulmoni nunquam *Veteres tria Vasa negarunt,*
Cunctis nota satis. Ruyschius arte valens
Nobile Vas profert quartum, quo fertur ad ambos
Pulmones sanguis nobilior riguus.
Bronchale appellare placet, mirabile dictu,
Tot Phæbi vates, tot latuisse senes.
Inventi fama est sua, nec non justius ulli,
Pro merito merces, splendida laurus erit.

C. R. M. O.

Ad Lectorem Lepidum.

Pasce oculos vivis, res est non parva, figuris.
Pasce animum dictis, sic satiatus eris.

D. O. M. B.

DILU-

DILUCIDATIO VALVULARUM.




Syphi Saxum volvere videbantur Cl. *Bilsio*, qui
 Valvulas in Vasis Lymphaticis indagabant, imo
 eos, qui istas vidisse statuebant, ridebat. Ne-
 que enim solum *Clarissimo Monichenio* (refe-
 rente *Clar. Bartholino* in Responsione de Ex-
 perimentis *Bilsianis* Fol. 11) dixit, *si Valvula sibi*
monstrari à Monichenio possent in Lymphaticis, fore illum solum
et unicum, qui naturam nosset, ejusque operationes; se verò il-
lis visis propria manu recantaturum omnia scripta et dogmata
cum solenni confessione erroris sui et cæcitatibus. Verum etiam
me ipsum (præsentem D. Helvetio Medicinæ Doctore, nec non
N. Coljer Chirurgo satio perito) interrogavit, an unquam in
Vasis Lymphaticis vidissem valvulas? præterea, si possem osten-
dere illas, me se ipso in sectionibus Anatomicis expeditiorem pro-
fessurum, asseruit. Valvulas, porro aiebat, in ductu thoracico
monstras quidem, quæ nobis antehac conspicuæ fuere, ast in Lym-
phaticis vasis nemo mortalium unquam demonstrabit. Quibus
respondebam, penes me non esse, illas tam liquidè & planè
ostendere, quin ille sententiæ suæ tenax posset contradicere;
quoties tamen stylum in Lymphaticis, versus distributionis
principium propuli, aut ipsam lympham in hepate aut sple-
ne, sursum adigere volui (idem quoque observatum à Nic.
Stenonio de Gland. Oris, Thes. 53) me semper quoddam per-
cepisse obstaculum: adeò ut existare in Lymphaticis Valvulas,
ambigendum non censerem. Ad illa, me nunquam eas ostensu-
rum respondit. Post varia (quamvis incassum) à me facta ex-
*perimenta Valvulas *Bilsio* αὐτοπτικῶς demonstrandi gratiâ, (aliàs*
enim fidem adhibere denegabat) tandem Lymphatica vasa
dextrè præscindere tentabam, ut postea in illis flatu debitè
repletis, radiisque solaribus expositis, & ritè exsiccatis, (quem-
admodum in schemate 1^o videre est) valvularum constructio
mihi conspicua foret. Ex voto successit experimentum istud,
 B sic

fic enim valvulæ, ubique geminatae, copiosissimæ, Lunæ crescentis instar, lateribus vasorum affixæ, quales illæ, quæ in venarum cavitate reperiuntur, multo tamen numerosiores, & tenuiores, luce meridianâ clariùs sese oculis meis offerebant.

FIG. I. D I L U C I D A T I O.

Vasa Lymphatica à parte antica, à latere, & secundùm longitudinem dissecta cum suis valvulis exhibet.

Fig. I.



A. Vas Lymphaticum secundùm longitudinem dissectum.


B. Vas Lymphaticum à latere.

C. Vas Lymphaticum ab antica parte.

aaaaa. Valvulæ semilunares in dictis vasis.

Paucis post hoc diebus, iterum præsentem sese mihi dedit *Bilsius*, mox in arenam descendens, hisce verbis: *Aliquidem jactitant, sese in Lymphaticis vidisse valvulas, penes neminem tamen est, illas demonstrare.*

Quibus verbis respondere consultum non duxi; illi enim soli eas demonstrare, non ferebat animus, sed præsentibus quibusdam Medicis, ac in arte Anatomica versatis, ut mihi hæc de re testimonium in posterum exigenti perhibere possent. Brevi post *Bilsius* (præsentibus *D. van*



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a footer or concluding remarks.

Wou, Helvetio, Sureau, Medicinæ Doctoribus peritissimis) ad ædes iterum devenit meas, & post varia à nobis habita verba, tandem de semine prolifico disserere cæpit, in medium profrens, Veteres semen prolificum ex sanguine elaborandum stautuisse: quod ipsi absurdum videbatur. Sanguis enim, aiebat, per arterias spermaticas ad testes quidem deducitur, verumtamen per venas comites reducitur ad cavam: idcirco aliam materiam, aliasque oportet assignare vias; nempe Lympham, per Lymphaticam ad eas partes mandatam. Ad hæc respondi, imperviam esse viam illam, ac adeò occlusam, ut ne guttula quidem materiæ chylosæ, aut Lymphaticæ, ex naturæ instituto, ad illas partes ablegari possit, nisi vi, quâ lymphatica expanduntur, valvulæque officio non funguntur, adhibitâ. Quid obstat? rogabat. Cui ego, valvulæ obstant. Instanti num eas vidissem, regerebam, me non tantum vidisse, sed urgente necessitate eas quoque demonstraturum: quandoquidem duo millia ad minimum valvularum, in quibusdam Lymphaticis, in conclavi meo reservatis, αὐτοπτικῶς demonstrare valerem, quodque eas in quovis subjecto idoneo demonstrare, mihi facile esset. Ostendas igitur, inquit, illas, ut iis conspectis, autopsiæ fidem præbeam. Quod ipsi primùm recusabam, ast si urinæ materiam, à glandulis lumbaribus, aut mesenterii, immediatè ad renes succenturiatos deferri mihi ostenderet, (quemadmodum sese posse ostendere, jactitat, per peculiare quosdam ductus, quos MOSCH nominare ipsi arridet) tum me omni tempore paratum etiam fore, assereram. Ad ea, sibi non esse licitum aliquid demonstrare, nisi Lovanii, respondit, ibique, si eò tendere mihi animus esset, hoc facturum: Si verò valvulas istas oculis suis exponere noluerim, se susque deque laturum. Neque quid veritati contrarium dixisse viderer, non abs re fore duxi, illas demonstrare, ut nobiscum oculis fidem habens, viam regiam, non verò deviam incedere cogeretur. Quibus ostensis, ne voculam quidem proferebat: percipiens verò cæteros viros eruditissimos uno ore hoc confiteri, dixit: diffindito nobis vasculum, nondum enim valvulas clarè discerno. Hoc factò, illi Valvulas dilucidè ostendi, & an nondum Valvulas videret, interrogavi. Nihil, inquit, adhuc dico. Scilicet non ausus erat illud confiteri, cùm illud hætenus per plures annos tam pertinaciter negasset, neque prorsus denegare, quoniam omnes

astantes Medici uno ore affirmarent. Paulò post, in illa erupit verba; *si mihi harum valvularum beneficio* (de earum existentia jam *αὐτοκατάκειται*) *Lymphæ motum, meæ opinioni contrarium, ab habitu centrum versus demonstrare poteris, ingenio tuo subscribam.* Illud à re nostra alienum esse respondi, & sufficere si impræsentiarum, Valvulas, hæctenus adeò perverse ab eo denegatas, in lymphæ ductibus exstare, ostenderim. Quis quæso lymphæ motum ab habitu receptaculum versus demonstrare pollicitus est? Proh! quale refugium? quæstio nostra fuit, an dentur in Vasis Lymphaticis valvulæ nec ne: ille acriter improbavit eas in Lymphaticis prostare, ego è contra propugnavi, ac, me non solum eas vidisse, sed & demonstrare posse, asserui, sicuti id eodem perfeci tempore. Hoc igitur modo frustra sese effugium quærere percipiens *Bilsius* devenit rursus ad Valvulas, & ut sese antehac eas habuisse conspicuas nobis persuaderet, hæc sesquipedalia protulit verba, quæ sanè referre puderet, nisi bis, terve, illa repetere ausus fuisset. *Quid, putasne, mihi ignotum fuisse, quicquid in Lymphaticis continetur? quem ne quidem minima, in toto corpore particula, multò minus valvulæ in Lymphaticis, latitant. Imo posito, quod nullas in Lymphaticis exstare dixerim valvulas, exinde nullo modo concludendum est mihi illas fuisse ignotas. Plura dixi quamvis in contraria sim opinione: scripsi etiam rorem in ductu thoracico contentum, non posse coagulari, in qua re tamen aliàs hospes non sum.* Cui subterfugio placidè respondi, talia virum ingenuum, & Anatomix Professore non decere, sed candidè & apertè, quæ ab aliis inventa sunt, approbare, ipsamque vocem PROFESSOREM hoc *πυτῶς* inculcare. Non quidem inficias eo, prudentis esse propria inventa tantisper celare, nec temerè cuivis offerre. Verum enim verò dicteris inficiari, & obliterare, quæ alii invenère, & ita veritati ipsi contra propriam conscientiam obloqui Professore Regium dedecet.

Unâ eâdemque horâ arroganter negabat (præsentibus ante memoratis viris) *naturam valvulas in Lymphaticis vasis construxisse: quinimo, si quis sibi ostenderet illas, eum se in sectionibus Anatomicis accuratiorem, professurum, manuque propriâ subscripturum.* Quas valvulas, cum à me vidisset ostensas (ne dicam de cæteris, quibus usus fuit tergiversationibus, uti superius videre est) sese eas antehac habuisse conspicuas, insolenter

lenter hisce indicabat verbis. *Existimasne mihi ignotum fuisse, in vasis Lymphaticis contineri valvulas? cum in ipso ductu thoracico, illas sæpius viderim.* Proh dolor! quasi verò natura in ductu thoracico nihil construere potuisset, quod vasis Lymphaticis denegasset. Quid quæso absurdius? non enim vasa Lymphatica, quemadmodum ductus Thoracicus, seu Chyliferus, simul cum lymphæ Chylum strictè dictum ex naturæ instituto vehunt: neque ductus thoracicus tantâ gaudet valvularum copiâ sicuti in bubus, & equis, sæpius compertum habui. Vide fig. V. Crassitie quoque ductus thoracicus vasa Lymphatica longè superat, adeò ut vasa illa nullo modo confundenda censeam. Neque hinc mirum fuisse arbitror si Valvulæ Lymphaticorum *Bilsii* visum effugerint, quamvis in ductu thoracico illas perspexerit. Non quidem inficior, *Bilsum* Valvulas, de quibus nobis quæstio est, aliquo modo contemplatum fuisse, antequam ei demonstraveram illas, (non enim de ejus visu censuram agere possum) verum enim verò illa solummodo, quæ de istis, nobis presentibus, in medium ipse protulit, omnibusque inculcare voluit, recitare ferebat animus, quæque virorum proborum, ac in arte Anatomica versatorum, testimonio comprobare nunquam deero. Si valvulas Lymphaticorum *Bilsius* ante meam viderit demonstrationem (quod nunquam negavi) sane non video, cur omnibus contrarium imponere conatus fuerit: nisi quod eo simul contrarium suum Lymphæ motum stabilire voluerit. Valvulis enim existentibus, uti exstare insignite, imo luce meridianâ clarius ipsi ostendi, nostrum sequatur Lymphæ motum necesse habet. Verbulum, antequam finem impono, adjungam. Si *Bilsius* antehac Lymphaticorum viderit valvulas, dubio procul illas conspicuas habuit postquam Epistolica sua Discertatio (quâ verus hepatis circa chylum, & pariter ductus chyliferi hæctenus dicti usus docetur) 1659 edita, lumen vidit: ibi enim legenti hæc prostant Fol. 4. 5. *Pergo igitur: liquor ille, quem ab usu, rorem dicimus, venas lacteas, per earum in intestinis aperta oscula, invadit, & seorsim congregatis canalibus in duas vias se dividit. Illa ad glandulam, quæ venæ portæ affigitur, ducit, atque inde vasa Lymphatica propagat jecori: altera in glanduloso mesenterii receptaculo convenit, unde totum corpus ramis evidentibus inferius superiusque instaurat. Cæteros ut missos faciam, illum qui ex*



præsentem sese dare. si dignetur, polliceor, me visui exhibiturum, Lymphatica seu Rorifera, nullam quidem guttam ex receptaculo ad testes, splenem, hepar, pulmones, & artus ex naturæ instituto posse amandare, quemadmodum illud nuperimè præsentibus *D. C. Stalpert vander Wielen, D. Liebergen, van Wou, Helvetio, Sureau,* & aliis in hepate demonstravi. Vide Fig. II.

FIG. II. EXPLANATIO.

Hepar Equinum à parte concava cum vasis Lymphaticis, eorumque valvulis demonstrat. Nota interim primò, me vasa Lymphatica respectu hepatis delineati paulò majora efformasse, quod idèò factum, ut valvulæ eò melius conspici possint. Secundò, me quasdam solummodo glandulas hìc expressisse, cum hac vice non tam glandularum, quam valvularum in Vasis Lymphaticis constructionem delineare animus fuerit. Tertio, hanc Hepatis formam ob Sculptoris inconsiderantiam esse inversam.

A. Hepatis Equini pars convava.

B. Vena Cava sub diaphragmate abscissa.

C. Vena Porta.

D. D. Glandulæ conglobatæ binæ in cava hepatis parte sitæ.

Nota plures plerumque ibi observari glandulas.

EEEE. Vasa Lymphatica ab extima hepatis parte producta, seseque in anticam glandularum partem insinuantia.

F. Vena Umbilicalis in ligamentum degener.

GGG. Vasa Lymphatica, à postica glandularum parte ortum fumentia, & ad receptaculum chyli tendentia.

ggggg. Valvulæ in vasis Lymphaticis luculenter conspicuæ, receptaculum chyli respicientes, atque, nequid è receptaculo ad hepar perveniat, prohibentes.

Postscriptum.

CL. *Bilsium* suæ defensionem summopere incumbere ex aliis percipio : idque non tam quidem coram artis Anatomicæ gnaris, quam sciolis & ignaris, quod ipsi, modo suas tueantur partes, perinde est. Nonnullis persuadet, concertationem nostram fuisse de *Lymphæ motu*, quem ipse à receptaculo ad corporis habitum ferri statuerat, ego verò à corporis habitu versus centrum, asseritque me meam sententiam haud potuisse probare. Aliis refert, me perhibuisse, se nullas unquam in vasis *Lymphaticis* vidisse *Valvulas*, similiaque in medium profert effugia. Hæc quod attinet, me talem *Lymphæ* motum statuuisse, fateor, idque etiam nunc affirmare non hæsito. Quod verò illud tueri non potuerim, tanquam rem plane ridiculam, prorsus nego. Non desunt viri boni, qui tunc temporis huic colloquio interfuere, testimoniumque mihi de actis libenter dabunt. Quod porro dixerim, *Bilsium* nullas unquam in vasis *Lymphaticis* vidisse *valvulas*, plane falsum est : ipse præsentibus supra memoratis viris, non semel asseruit, *nullas dari in Lymphaticis valvulas, & si quis sibi contrarium ostenderet, agniturum illum, se in sectionibus anatomicis versatorem.* Fateor me sæpius perhibuisse me adduci non posse, ut credam *Bilsium* *Lymphaticorum Valvulas* unquam ante demonstrationem meam vidisse ; illud enim in hunc usque diem à me ut credam impetrare nequeo : & posito quod dixerim illum nunquam vidisse eas, (quod tamen à veritate alienum est) an iniquitatis me accusare posset *adversarius*, quandoquidem ipse toties asseruit *valvulas in vasis Lymphaticis à nemine mortalium esse aut visas aut ostensas.* Tandem pro sua ventilat defensione, nos omnes mentem suam male excepisse, seseque de earum existentia ancipitem non hæsisse. Quod ut facilius omnibus inculcaret & persuaderet, libellum quendam, à *D. Zasio* Med. Doctore apud *Rotterdamenses* concinnatum profert : ubi Fol. quarto *D. Zasius* asserit, *Bilsium* quotidie in lucem proferre, *Arterias, Venas, Ductus aquosos, Muscum, Valvulas in DUCTU THORACICO &c.* *Videtisne?* inquit *Bilsius, mihi fuisse notum,*

tum, *exstare in Lymphaticis Valvulas*: ipse namque *Zasius*, me eas habuisse conspicuas profitetur. Ast quantum, ingenue Lector, illud ad concertationem nostram valeat, te iudicem relinquo. Quæstio mihi cum *Adversario* de valvulis vasorum Lymphaticorum intercedit, quæ sparsim & ubique in toto inveniuntur corpore; ille sese antehac eas vidisse in ductu thoracico, seu rorifero (uti *Bilsio* eum nominare placuit) profert. Quis, quæso, negavit *Bilsium* in ductu thoracico vidisse valvulas? cum ne quidem negarim illum has conspexisse in ipsis vasis Lymphaticis. Ipse vero nobis obtrudere voluit, nullas dari in vasis Lymphaticis valvulas, uti superius constat, quod si evertere poterit, palmam præripiat mihi.

C A P. I I.

Modus venarum Lactearum Valvulas in conspectum producendi.

SI quid in re Anatomica perquisitu sit arduum, haud postremum locum obtinet ocularis demonstratio Valvularum, quæ sunt in venis lacteis primi generis; idque potissimum propter sequentes rationes. Primò nisi animal debito tempore post pastum aperiatur, vix in oculos incurrunt Venæ Lacteæ, multo minus Valvulæ in iis contentæ. Secundò. In venis Lacteis chylo repletis, propter chyli opacitatem, Valvulæ haud conspiciuntur. Tertiò. Adeò subtiles sunt Venulæ Lacteæ, ut vix ac ne vix quidem tubulum admittant, quo sine demonstrari non possunt. Quartò. Ægrè à mesenterio tam accuratè separari queunt quin vestigium quidem retineant, à quo postea ita obnubilantur Valvulæ, ut visus aciem prorsus effugiant: adeo ut facile non sit Venarum Lactearum Valvulas in conspectum producere. Nullus Anatomicorum Valvulas istas hæctenus delineandas curavit; nemò quoque, nisi suspensa manu, de iis sermonem habuit; nullibi quoque aliquid de earum structura scriptum reperi: quapropter, num easdem revera conspicati sint, animi pendeo. Dari aliquid valvularum vice fungens, ratio ipsa dicitur; si enim Chylus à glandulis mesenterii versus intestina impellatur, variis in locis percipitur renixus, seu obstaculum. Ex eo tamen nullo modo illud, quod renixum efficit, sese oculis nostris offert; qua de causa non abs re fore existimavi, illud examine accuratiori in-

C

qui-

quirere; eoque magis, quod animadverterim non omnes Valvulas ejusdem esse structuræ aut formæ. Sic eæ, quæ affixæ sunt venis sanguineis, ubi ramos emittunt, non servant lunæ crescentis formam, verum in longitudinem magis sunt exporrectæ: Quod à nemine hæctenus observatum memini. Toto quoque differt cœlo Valvula, quæ ductui communi choledocho in intestino tenui præponitur, ab iis, quæ in crassis reperiuntur intestinis, in quibus non unam, aut plures observo Valvulas. Quemadmodum in parte crassi intestini à me inflati & exsiccati habeo præparatas, ut Viris curiosis, quoties libet, demonstrarem, donec aliquando figurâ expressas omnibus communicem. Datur & hæud exigua inter cordis Valvulas differentia. Quibus ita perpensis, multum impendi laboris, pluraque frustra adhibui experimenta, antequam curiositati meæ satisfacere, valvulasque in conspectum producere potuerim: cujus veram præparationem lubens revelo. Tertiâ circiter horâ à partu strangulandum animal, aperto abdomine, liganda quædam venula lactea chylo repleta, circa Asellii pancreas, seu potius glandulas mesenterii; ne præpropere, simul cum lacteo succo visum effugiat venula lactea. Postea propè exortum, qui est ab intestinorum tunicis, tubulus dextrè intrudendus; quo factio, ligatura solvenda, succusque lacteus digitis abigendus. His ita peractis, vinculum de novo adhibendum, venula lactea spiritu oris sufficitanda, pone tubulum, ne flatus erumpat, vincienda, atque à mesenterio, ut ne vestigium quidem adhæreat, accuratè separanda, aërique demum exponenda, ut siccescat: Sic Valvulæ luculenter conspiciuntur, geminatæ, semilunares, iis, quæ in vasis serosis reperiuntur ad amussim respondentem. Notandum primò, Venas Lacteas primi generis non tantâ gaudere valvularum copiâ, quantâ vasa serosa, imò & secundi generis lacteæ, uti Fig. III. conspiciendum exhibet. Secundò, omnes earum Valvulas cavitate sua glandulas mesenterii respicere; adeo ut nihil ab iis ad intestina amandari queat. Vide Fig. III. lit. bbbbb. Tertiò, has Valvulas, omnibus exquisitissimè peractis, conspici non posse, nisi Cœlo sereno, clarâque existente luce. Ne tamen verba dare videar absona, aliquot domifervo pluribus Viris egregiis ostensas lacteas balsamo conditas; in quibus Valvulæ istæ luculenter conspiciuntur: ut & Venas quasdam ramis præditas, quibus præponuntur Valvulæ istæ in longitudinem magis exporrectæ (de quibus superius mentionem

nem feci) quæ non malè alteri parti digitalis, quo utuntur mulierculæ pro digitorum tegumento, à me comparantur: quod *Higmorum* prorsus latuisse patet ex ipsius Disquisitione Anatomica corporis humani, Fig. II. Tab. X; ubi omnes venarum Valvulæ ejusdem reperiuntur structuræ: Quin nullus mihi hæctenus perscrutanti occurrit Anatomicus, quem id animadvertisse vidi.

F I G. III. E N O D A T I O.

Equinas venas Lactæas primi & secundi generis, glandulam mesenterii, & receptaculi chyli portionem repræsentat.

A. Glandula mesenterii Equini, ab Afellio Pancreas dicta, in cujus partem anticam venæ lactææ primi generis sese insinuant, à postica autem parte venæ lactææ secundi generis ortum sumunt.

BB. Primi generis lactææ.

bbb. Valvulæ in iisdem conspicuæ.

CCC. Earundem venarum radices ab intestinis tenuibus separatae.

DD. Venæ lactææ secundi generis in quibus Valvulæ numerosiores existunt, adeò ut ratione formæ à vasis Lymphaticis non discrepent, ut rectè observatum à Cl. D. Sylvio, in Disput. de Vasis Lymph. Thes. 12.

F I G. IV. E X P L I C A T I O.

A. Venula lactæa cum valvulis a a a a.

* Venula lactæa aperta.

F I G. V. D I L U C I D A T I O.

A. Portionem ductus thoracici Equini, in quo Valvulæ a a. conspiciuntur, continet.

B. Pars ductus thoracici, chyli receptaculum cavitate suâ respiciens.

S P L E N I S

L Y M P H Æ - D U C T I B U S .

C A P . I I I .

Vasa Lymphatica in Liene manifestandi modus.

Non desunt inter Neotericos, quamquam in re Anatomica oculatissimos, qui Lienem Vasis Lymphaticis prorsus destitutum putarunt, quos inter *Whartonus* singularis ille Anatomicus pro meritis colendus, in *Glandularum totius corporis Descriptione*, pag. 13. *Vix autem fingi potest in quem usum, liquorem hunc eliciat, nisi in nervorum. Desunt enim alia omnia vasa per quæ idem absporetur, præter nervos. Nam Lymphæ-ductus nulli adhuc per hanc partem (loquitur de Liene) distributi observantur. Franciscus Glissonius, in Anatomia sua Hepatis, profitetur quoque sese eas non vidisse, fol. 516. hisce verbis: Vasa habet (de Liene sermonem habet) arterias, venas, nervos plurimos, & nervosas fibras innumerabiles, Lymphæ-ductus nullos vidimus, eosque propterea (si qui adfuerint) aliorum oculis perspicacioribus detegendos relinquimus. Gualterus Charleton, in Oeconomia Animali, nullos quoque in Liene admittit Lymphæ-ductus, fol. 178. Lymphæ-ductuum duo genera constituuntur ab Inventoribus; quorum alterum eos omnes, qui in abdomine sunt, complectitur: cæteros, qui ex artubus, seu exterioribus corporis partibus exoriuntur, alterum. Priores ab hepate, omento, aliisque infimi ventris partibus (liene unicè excepto, in quo nulli adhuc sunt reperti) fere omnibus emergunt.*

Plures Authores, qui in hac sunt opinione, recitare, facile mihi foret: ne verò sim prolixus, eos missos faciam, illudque tantum, quod circa Lymphæ-ductus in splene oculatus observavi, detegam. Dixi autem superiùs, Lienem vasis Lymphaticis scaterre, ideoque jam paucis, quo ritu illa investiganda sint, expediam. Aperiatur duabus horis à potu abdomen cujusdam animalis strangulati, aut mactati, ligenturque simul omnia vasa Splenica, tam sanguinea, quam serosa (jamjam enim effluit Lympha vasis) quo factò amputandus Lien sub ligatura, (quemadmodum Fig. IV. demonstrat) & asseri seu mensæ imponendus, ut omnia luculenter conspici possint: tunc demum trudatur

datur digitis Lympha ab extremo ligaturam versus, sic vasa in conspectum veniunt copiosissima, per quæ Lympha nullo modo (nisi adhibitâ vi) reduci potest. Benè tamen observandum I°. Vasa illa non solum in splenis superficie reperiri, verùm etiam in parte interiori arteriam splenicam, nervosque concomitari. II°. in omnibus animalibus ejusdem generis, haud æquè copiosa esse. III. Lienem humanum non tantâ gaudere Lymphæ-ductuum copiâ, quantâ quidem Vitulinus. IV°. prospiciendum in ligandis vasis Splenicis, ne dilacerentur, aut rumpantur vasa illa serosa seu Lymphatica.

Fig. VI.



FIG. VI.

D E C L A -
R A T I O.

*Lienem cum li-
gatis Vasis
Lymphaticis
& sanguineis
ostendit.*

- A. Lien Vituli.
- B. Vasa Sanguinea & Lymphatica ligata.
- C. Vena Splenica.
- D. Arteria Splenica.
- E. Nervi Splenici, quorum numerus incertus.
- F. Vasa Lymphatica in extrema Lienis parte ortum ducentia.

ffff. Valvulæ in iisdem Vasis.
G. Ligatura.

OBSERVATIONES

ANATOMICÆ.

CAP. IV.

OBSERVATIO I.

Anatome filiolæ tredecim Costas in singulo latere habentis.



o. 1664. Filiolæ cujusdam, lenta feбри hec̄tica denatæ, cadaver (præſente D^o. van *Santen* Med. Doctore, Practicoque apud Harlemenses feliciffimo) diſſecui. Tredecim coſtæ in ſingulo latere oculis occurrebant. Bis quoque uno in latere binæ coalitæ conſpiciebantur coſtæ.

OBSERVATIO II.

Productio pelvis & ureteris, ab externa & gibboſa renis parte.


Naturam circa renes non rarò varietate frui, animadvertunt ii, qui cadaverum ſectionibus delectantur. A^o. 1665. menſe Junio canem, lacteas, Lymphaticaque perſcrutandi gratiâ, ſtrangulavi. Ren ſiniſter quodammodo flaccidus, duos continebat lumbricos, octo plus minus digitos aſſequentes. Pelvis & ureter ab externa & gibboſa parte producebantur (quemadmodum Fig. VII. demonſtrat) calculumque continebat Pelvis; unde adeò mihi videbatur obſtructa, ut nihil quidem ex eo rene ad veſicam pervenire poſſet.

FIG.

FIG. VII. DILUCIDATIO.

Renem sinistram, è cujus parte gibbosa & externa oriuntur pelvis & ureter, ostendit.

Fig. VII.



- A. Arteria Aorta.
- B. Vena Cava.
- C. Ren sinister.
- D. Pelvis ab externa & gibbosa renis parte producta renem extra aliquo modo conspicitur.
- E. Ureter sinister.
- FF. Arteriæ Spermaticæ.
- G. Arteria Emulgens.
- H. Ren Succenturiatus.
- I. Vena Emulgens.

OBSERVATIO III.

Vermes in Ventriculis Equinis reperti.

IN ventriculis Equinis crassos curtosque sæpius deprehendo lumbricos colore cinereo, formâ oculis, seu gemmis Abietis perfimiles, tunicæque interiori ventriculorum firmè adhærentes.

OBSERVATIO IV.

Anatome monstrosi capitis Vituli.

A° 1664. Monstrosi capitis Vituli, ob hydrocephali vitium emortui, anatomen institui. Mole communis Vituli caput bis ad minimum superabat, rotundum, humani capitis ad exemplar. Pelle deglubita, variis in locis cranii expers, folaque:

folaque membrana vestitum deprehendi, quemadmodum cuiusvis curioso demonstrari adhuc potest. Cerebri momento exiguo tantum superstite, cætera cavitas aquosâ quâdam scatebat materiâ.

OBSERVATIO V.

Racemus glandularum nervosarum in hepate humano repertus.

A. 1664. Vasa jecoris humani à parenchymate separaturus, demptâ tunicâ ob oculos mihi venit in cava ejus parte sub vesica fellea, catena plurimarum glandularum, substantia nervosa, nullo sanguine (si oculis habenda fides) perluta, cultelli aciei præ duritie vix cedente.

OBSERVATIO VI.

Arteriæ vermibus scatentes.

A. 1665. in Mesenterio Equino occupatus, in conspectum sese mihi dedit pars arteriæ mesentericæ, multum distenta, ut prima fronte aneurisma exstare videretur in illa. Eo enim in loco pollicis crassitiem superabat, infra quam supraque, calamus scriptorium crassitie vix æquabat. Qua dissecta, tunicas adeò comperi incrassatas, ut Straminis crassiusculi crassitiem repræsentarent. Cavitas innumerabilibus repleta erat vermiculis, aciculam minorem (capite dempto) ad amussim repræsentantibus. Ter quaterve me illud offendisse memini.

OBSERVATIO VII.

Gemina vena umbilicalis in uno hepate.

Variis naturam ludere modis in jecinore deprehendo. **A**. 1665. mense Majo, hepar Vituli, jam jam in lucem editi, excarnaturus, animadverti duas venas umbilicales, quemadmodum nonnullis in re Anatomica versatis demonstravi. Una alterâ multò tenuior portæ propago non erat, ast in dextra hepatis parte ramulos plurimos ubique distribuerat, qui cum cæteris portæ extremitatibus uniebantur per anastomoses.

O B S E R V A T I O V I I I .

Ossium secundum naturam separatorum, præter naturam coalitus.

A° 1664. Lumborum vertebrae, in cadavere humano per symphysin planè unitas, contemplari mihi contigit. Eodem anno Costæ coalitum cum vertebra intuitus sum. Paucis post vertebrarum colli unio mihi occurrit.

O B S E R V A T I O I X .

Vermis in hepate muris repertus.

A° 1664. murem disseccans, in hepatis cavo vesiculam pendulam reperi, qua aperta, ob oculos venit vermis, satis gracilis, Spithami longitudinem superans.

O B S E R V A T I O X .

Arteria œsophageæ exortus variat.

PArti œsophagi, quæ in thorace absconditur, hæud perpetuò arteria ab intercostalibus exorta conceditur, sæpe enim hanc arteriam ortum trahere ab Arteria, Bronchiali à me dicta, observavi.

O B S E R V A T I O X I .

Vermis in rene repertus.

A° 1664. Canem venaticum satis pancreaticè (quantum ex agilitate colligere potui) viventem, disseccui. In rene dextro ne vestigium quidem parenchymatis, ast vermem non exilem, & copiosum sanguinem fluidum inveni.

O B S E R V A T I O X I I .

Geminus Ductus Pancreaticus in cadavere humano sæpissimè visus.

Ductum pancreaticum, qui ab exercitatissimo *Wirsungo* primò offensus perhibetur, in homine sæpissimè geminum

num animadverti; quod bis quoque sese observasse notat *Regnerus de Graef*, intima familiaritate mihi conjunctissimus, in *Exercitatione Anatomico-Medica*, Thes. 24. Horum alter communem ductum choledochum, intestinale dictum, propè intestinum duodenum, ut plurimum perforabat: alter in intestinum dictum, aliquando etiam in jejunum, seorsim implantabatur. Sæpè tamen duos reperi pancreaticos ductus in cadavere humano, quorum neutri aliqua cum ductu choledochi erat communicatio. In canibus hunc ductum pancreaticum rarò simplicem esse comperio.

OBSERVATIO XIII.

Ren atrophici correptus, cum mirabili pelvis, ureterisque dilatatione.

Ao 1665. 14. Februarii cadaveris cujusdam viri, Phthisim Diabetemque passi, anatomen institui. Remotis intestinis, arterias Spermaticas investigaturo, in oculos mihi incurrit ureter dexter, mirum in modum distortus, atque hic illic multum expansus, ut intestinum ratione crassitie representaret. Pelvis quoque adeò erat distenta, ut malum aurantium mediocre facillimè, & citra difficultatem admitteret. Parenchymate omnimodè consumpto, nil præter membranosas partes, perquam induratas superstes videbatur.

OBSERVATIO XIV.


Pelvis bifurcata.

Dextrum renem in eodem cadavere inquirenti in aspectum venit pelvis, quæ renem extra apparuit pendula, bifurcata, & apprimè dilatata. Vide Fig. VIII.

FIG. VIII. EXPOSITIO.

Renem dextrum cum pelvi bifurcata proponit.

Fig. VIII.



A. Vena Cava.

B. Ren dexter.

C. Pelvis bifurcata extra re-
nem pendula.

D. Ureter multum distensus.

E. Vena Emulgens.

OBSERVATIO XV.

*Arteria quædam hætenus incognita, per quam sanguis arte-
riosus, ab Arteria magna derivatus, ad pulmones
amandatur.*

Eorum quos in hunc usque diem pervolvi Anatomicos, nullus
quidem, quod sciam, vasorum sanguinem Arteriosum ab
arteria aorta ad pulmones deducentium mentionem facit: Imo
præter venam arteriosam, seu potius arteriam pulmonalem, ex
dextro sinu prodeuntem, sanguinemque ut ventiletur, ad pulmo-
nes deducentem, & arteriam venosam, seu potius venam pulmo-
nalem, ex sinistro cordis thalamo exortam, sanguinemque è
pulmonibus ad cor revehentem, nullum vas sanguineum quif-

piam agnovit. Cui sententiæ tam diu fui addictus, donec mihi, jam fermè per biennium, in majorum animalium, puta Hominum, Equorum, Boum, & similibus pulmonibus excarnandis versanti, ut aliquid certi de vasorum sanguineorum Anastomosibus in pulmonibus mihi constaret, inopinato arteria quædam BRONCHIALIS à me dicta, in conspectum sese dederit, & quidem per sanguinem in ipsa contentum, unde eminebat, postquam Pulmonum bronchia ab eorundem Parenchymate, venâ arteriosâ, & arteriâ venosâ separassem, & sanguine suo per liquorem quendam convenientem privassem. Quo viso distributionis principium indagare animus erat, quod propter abscissam Aortam, nullo modo in illis Bronchiis sum assecutus, in aliis verò omnibus quamfacillimè illud postea obtinui. Hanc Arteriam à nemine adhuc esse observatam, intrepidè affirmo: Viri enim in rebus Anatomicis exercitatissimi, vasa sanguinea in pulmonibus contenta, describentes, hanc quasi incognitam silent. Quos inter magnus ille *Andreas Laurentius*, vir sui sæculi doctissimus, in *Historia sua Anatomica Corporis Humani*, Cap. 22. fol. 369. hæc habet. *Triplici vasorum genere caro hæc (loquitur de pulmonibus) sustinetur, & cohæret, Vena arteriosa, Arteria venosa, & Aspera arteria.* Nullam verò de Arteria à me inventa facit mentionem. *Cl. Spigelius* in *Sectione Anatomica* nullo modo infimus, in eadem est opinione, & præter vasa à *Cl. Laurentio* prolata, nullum agnovit, ut liquet ex ejus *Corporis Humani Fabrica*, Cap. X. fol. 362. *Parenchyma hoc membranâ cingitur, à communi vasorum, pulmonem ingredientium, tunicâ enatâ, quæ tenuis, mollis, & vehementer porosa est, vasa autem accepit omnis generis: Venas quidem, à vena Arteriali, ex dextro cordis ventriculo prodeunte, Arterias verò, ab Arteria venosa è sinistro. Illa nutrimentum, hæc vitam affert; sed utraque in duos, statim ac primum pulmonem attingere, ramos dividuntur, mox iterum in plures. Clarissimi Bartholini verba hæc sunt. Substantia pulmonis triplicibus intertextitur vasis, non parum etiam ad robur facientibus, duo à corde veniunt, vena Arterialis, & Arteria venalis, tertium proprium est, videlicet Trachea Arteria, seu Aspera Arteria.* Nulla quoque *Higmoreus*, celebris ille *Britannus*, in *sua Corporis Humani Disquisitione Anatomica*, præ-

præter enumerata à supra citatis Viris vasa, in pulmonibus recenset, ut liquet ex Cap. IX. Lib. I. fol. 168. *Vasa pulmonum, quibus cordi adjunguntur, & per quæ & sanguinem pro nutritione recipiunt, & contemperatum rursus cordis sinui sinistro reddunt, sunt Arteria, & Vena.*

Hanc Arteriam, BRONCHIALEM nominare visum fuit; supra Bronchia enim serpens ea concomitatur ad finem usque. Ortum sumit ab Arteriæ magnæ descendenti posticâ parte, digiti latitudine, plus minus, supra supremas arteriarum intercostalium, ex aorta descendenti exortarum, aliquando etiam duorum digitorum latitudine supra arterias modo dictas; nonnunquam etiam infra eas originem habere comperio: placet enim naturæ aliquando varietate frui. Nunc unica exsurgit, nunc gemina, ita ut sæpius, arteriâ magnâ cadavere exemptâ, intercostalibus & Bronchialibus abscissis, trunculi Bronchialium remanentes, exortum intercostalium mentiantur. Hinc pulmones obliquè subit, Bronchiaque sub arteria venosa ad extremum usque comitatur, donec capillaris facta, visus aciem effugiat. Æri ipsam curavi incidendam, ut, si quid forsan verbis exprimere non valerem, illud per figuram ad vivum depictam, perficerem. Notandum porro, me, deficiente pulmone humano, vitulinum sumpsisse, uti cuivis patet ex supremo ramo, qui Pulmonibus humanis, equinis, asininis, agninis, caninis, vulpinis, denegatur: an verò præter boves & vitulos reperiantur bruta, quibus ille ramus, seu lobus conceditur, ignoro. In pulmonibus humanis observavi, hanc arteriam sæpius anticam Bronchiorum perreperere partem, quod in brutorum pulmonibus rarò vidi. Dicit forsan aliquis, hanc arteriam parvi esse momenti, si respiciamus venam arteriosam, seu potius arteriam pulmonalem, vas utpote capacissimum, à quo sanguinis sufficiens quantitas pulmonibus suppeditari posset. Ad quod respondeo, ea quoque ratione arteriam hepaticam floccifaciendam fore, propterea quod respectu venæ portæ, hepatis sanguinis copiam subministrantis, quamminima sit. Quod æque absurdum mihi videretur; arteriam enim hepaticam jecur ingredientem, venamque portæ comitantem ratione pabuli nobilis illac vehendi maximi faciendam puto; quicquid enim per portam jecori communicatur, merè venosus est sanguis, ab imi ven-

tris visceribus refluus, nullo Chylo Riolani, aut Bilii commixtus. Eadem quoque ratione hanc arteriam bronchialemaximi faciendam esse existimo, non quidem ratione quantitatis, sed qualitatis sanguinis. Sanguinem enim finistrum Cordis thalamum transgressum, nobiliorem esse, dextri ventriculi sanguine, quis negaturus? Existimo itaque, ut finem imponam, hanc arteriam esse conditam, ut pulmonibus sanguinem nobiliorem, perfectiorem, imo magis exaltatum, communicaret.

FIG. IX. EXPLICATIO.


Asperam Arteriam Vituli à postica parte denudatam à Parenchymate venâ arteriosâ, & arteriâ venosâ cum Aorta descendenti à corde detruncata, & arteria Bronchiali demonstrat.

- A. Aspera arteria vituli à postica parte abscissa Larynge.
- B. Ramus dexter.
- C. Ramus sinister.
- D. Arteria Bronchialis, cujus ramuli bronchia ad finem usque concomitantur.
- E. Arteriæ descendenti à corde detruncatæ postica pars, è qua intercostales proveniunt.
- Abscissi trunculi intercostalium.
- F. Summus ramus, quem in nullis animalibus, quam in vaccis & vitulis inveni.

OBSERVATIO XVI.

Vermis supra omentum repertus.

L Umbricos in omnibus corporis partibus generari posse, quotidianâ constat experienciâ. Canem satis vividum tribus circiter horis à pastu venas lacteas lustraturus strangulavi. Aperto abdomine profiliit vermis vivus, duas spithamas minimùm longus. In omento nullum licuit cernere affectum, aut continui solutionem: intestinis mesenterioque etiam sanis existentibus.



11.11



OBSERVATIO XVII.

Prægrandis vesica fellea propter obstructionem in Vacca reperta.

A. 1665. mense Aprili, Vaccæ cadaver aperui, in quo ab obstructione meatus cystici, reperi vesicam bilariam, fellis sesquipintam ad minimum continentem: unde adeò distenta apparuit, ut nihil præterea capere potuerit, fibris namque magna ex parte solutionem continui passis. Hujusce rei causa indagata, meatum cysticum, à lapideo-tartarea materia digitorum frictioni cedente, ita obstructum offendi, ut, nisi vi accedente, ne guttula quidem effluere potuerit. Quæ materia peripheriæ colli vesicæ eo adhærebat modo, quo tartarus dolio adhærere consuevit.

OBSERVATIO XVIII.

Porus bilarius à lapideo-tartarea materia repletus.

IN Poro bilario Boum, Vitulorum, & Ovium, tantam sæpius reperi lapideo-tartareæ materiæ copiam; ut bili in Pori suprema parte contentæ spatium non esset, per quod ad intestina perveniret, unde adeò distendebatur Porus bilarius, ut venæ portæ crassitiem bis interdum superaret. In talibus poris bilariis non rarò vermes latos (Belgicè **BOTTEN**) prognatos vidi.

OBSERVATIO XIX.

Totius mesenterii, propter glandulas mesenterii scirrhusas factas, consumptio.

OMenti consumptio lethalis non est, plurimi enim eo expertes superstites dudum vivunt: quod non solum in brutis, verum etiam in hominibus subitò ab angina suffocatis, ut & à carnifice strangulatis, notavi. Mesenterii verò consumptionem exitiosam esse omnibus in confesso est. A°. 1664. 16. Februarii cadaver cujusdam viri 25. annos plus minus nati.

ti, tabemque passi, dissecuimus, in cujus abdomine in hypochondrio sinistro sub splenem nobis apparuit tumor scirrhusus, propria membrana inclusus, caput infantis magnitudine superans, ita ut prima fronte alter videretur ventriculus. Mesenterio omnimodè consumpto, intestina omnia in dextrum latus devoluta apparuere. Omnes quoque glandulae mesentericae & lumbares partim erant absumptae, partim Scirrhusae factae.

OBSERVATIO XX.

Anatome rigidae Vaccae.

A° 1665. 9. Maii, Vaccam lactantem, atrophia laborantem, adeò rigidam deprehendi, ut caput pratum versùs flectere, aut pedibus insistere vix potuerit. Quam defunctam aperui, in qua quotquot erant glandulae conglobatae, omnes Scirrhusas reperi, conglomeratis nil simile passis.

OBSERVATIO XXI.

Duo ductus Salivales ab una glandula maxillari inferiori exorti.

A° 1664. Occupatus in capite canino cum D. Regnero de Graef, rerum Anatomicarum perscrutatore diligentissimo, reperimus duos canales Salivales ab una glandula maxillari inferiori ortum fumentes.

OBSERVATIO XXII.

Vasa sanguinea in splene humano à vaccinis discrepant.

A° 1665. mense Julio investigationi vasorum sanguineorum in Splene humano incumbens, reperi vasa venosa concomitari arteriosa ad splenis extrema fere usque, secus ac in splene bubulo, in quo vena quamprimum splenis tunicam penetravit, disparet, sicuti apud *Higmorum* Tab. vii. fol. 62. videre est.

OBSERVATIO XXIII.

Duo ureteres ab uno rene.

A. 1664. Mulieris cadaver diffecantes observavimus renem dextrum duos obtinere ureteres, qui antequam ad vesicam pervenirent uniebantur: adeò ut vesicam simul perforarent. Talis renis structuram me nuperrime quoque vidisse apud Dn. *J. Stalpert vander Wielen*, Med. Doct. & Anatomicum accuratum, memini.

OBSERVATIO XXIV.

Calculus in hepatis parenchymate repertus.

Nihil quidem frequentius, quam calculorum generatio in boum & ovium poris bilariis, occurrit; nil verò in ipso hepatis parenchymate rarius obvenit: quin affirmare ausifim, mihi (quanquam plus quam centies in jecinorum excarnatione occupatus fuerim) illud semel tantum apparuisse anno 1664; quo tempore mihi in excarnandis jecinoribus perquam attento in aspectum sese dedit calculus durus, in parenchymate absconditus, poro bilario nullo modo affixus, qui lanci impositus Scrupulos duos pendeat.

OBSERVATIO XXV.

Hydatides in Atheromata, Steatomata, & Melicerides aliquando degenerare certum facit αυτοψία.

HYdatides in Atheromata, Steatomata, & Melicerides mutari nulla mihi ambigendi relinquitur ansa; plures enim hoc anno istiusmodi offendi hydatides, in quibus aliquando materiam pulti, lacti, fero, coagulo, caseoque æmulam reperi; idque non solum in superiori hepatis membrana, verum etiam in parte ejus interiori supra venæ cavæ, & portæ ramos. De Hydatidum generatione, quid sentiam, fileo: quædam enim circa hanc rem animum meum suspensum reddidêre, adeò ut illud mihi sufficienter perspectum esse diffitear.

OBSERVATIO XXVI.

Ductuum Salivalium inferiorum oscula in homine vivo visum plerumque effugiunt, arte tamen manifestari possunt.

Oscula Ductuum Salivalium inferiorum ore aperto in homini vivo vix unquam conspiciuntur, adeò ut difficile sit illa alicui ostendere. A°. 1665. fortuitò & plane aliud inquirens, reperi oscula prædicta aliquo modo hiscere. Quo viso causam ejus inquisivi, deprehendique non solum penes nos esse, ostiola ductuum salivalium facili artificio in ore aperire, ut in aspectum veniant, verum etiam vasa illa, ut & Salivam ita disponere, ut Saliva striatim ore tanto exiliat impetu, quanto sanguis ex basilica tusa.

HÆc sunt, amice Lector, quæ tibi hoc tempore communicare animus fuit. Plura diligenti indagine observata, inter quæ non minimum locum habet accuratissima hepatis excarnatio, in qua omnia, etiam minutissima, ejus vasa tam sanguinea quam lymphatica sine ulla dilaceratione novo & inaudito modo demonstrantur, in aliud tempus differo. Sicubi erro, quod humanum esse lubens agnosco, emendationes aliorum candidas benigno excipiam animo: non enim is sum, qui solus ubicunque in arte mea sapere affecto, & supra mortale fastigium memetipsum evehere: Diu est, cum didici à lepidissimo Poëta meo, quòd

*..... Vitiis nemo sine nascitur,
optimus ille est
Qui minimis urgetur.*

Odiosum hoc hominum genus existimo, qui omnium bonorum studia & labores præ suis despiciunt; qui aliorum industriam, etiam nunquam sibi cognitam, floccifaciunt; qui verba & scripta propria miserè torquent, inque sensum alienum & contrarium abripiunt, ut, nihil se latere, vulgo & ignaris rerum persuadeant: hi sunt, qui ab aliis inventa sua faciunt;

ea, quæ revera ignorarunt, ab aliis luce clarius cum detecta vident, sibi multo ante cognita, sibi perfectius quam ulli mortalium revelata, clamitant; denique qui secreta horrenda ubique deblaterant non precibus, non vi, non forte suprema ulli communicanda, sed pretio immenso, cui plerique istorum inhiant; quorum tamen secretorum veritas æterno sepulchro plerumque conditur, nec unquam à Sole, qui omnia illustrat, aspicitur. Ejusmodi hominum innumera occurrunt exempla; tædet referre historias eorum, qui lapidem Philosophorum aliaque secreta in Medicina jactitantes, imprudentium multorum exhauserunt oculos. Horum insanos clamores viri cordati fugiunt, & tanquam

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Equidem mihi in hisce divulgandis non alium præfixi scopum, quam veritatem palam facere, qua ea sese mihi nudam obtulit: si quas Viri eruditi & boni in ea maculas, si quos nævos animadvertunt, benigno animo ego eos abstergi patiar; nec mihi dedecori fore existimabo, si levem errorem commiserò, cujus neminem mortalium, hæctenus immunem inveni: quin potius sincero affectu & candido pectore eos amplectar, qui veritatem immaculatam oculis meis exponere annitentur. Invidorum acres castigationes omnes boni oderunt; amicis monitoribus ego amore vero, ego officiis occurram certissimis, & ut cum mellitissimo Poëta nostrate finiam,

*Siquis ultrò comitate, vel leni
Benignitate, quæ coagulum vitæ,
Compes bonorum est, vindicet sibi hoc pectus,
Tenebit usque, dum superstes usurpo
Vitale lumen, non solubili nexu.*

E L E N C H U S.

- V* Alvularum in vasis Lymphaticis existentiam negat Bilsius. 1.
 Rogat Bilsius ut sibi valvulae eae demonstrantur. 2.
 Hisce visis Bilsius plenis buccis exclamat sese antehac eas saepius vidisse. 4.
 Bilsii defensiones refutantur. 8.
 Quo modo valvulae dictae luculenter demonstrari possunt. 1. 2.
 Qua de causa valvulae in venis lacteis primi generis perdifficile in oculos incur-
 runt. 9.
 Quae sunt in venis Sanguineis Valvulae, non ejusdem reperiuntur formae. 10.
 Valvulae affixae venis ubi ramos emittunt, lunae falcatae formam non obtinent, ast
 alteram partem digitalis in longitudinem dissecti ad amussim referunt. ibid.
 In intestinis plurimae reperiuntur valvulae. ibid.
 Valvulas venarum lactearum in conspectum producendi modus. ibid.
 Venae lacteae secundi generis à vasis Lymphaticis ratione structurae non discrepant. ibid.
 Quo modo vasa Lymphatica in Liene manifestentur. 12.
 Tredecim costae in singulo latere repertae. 14.
 Plures, nullas in Splene dari Lymphatica vasa censere. 12.
 Splen humanus haud tantam Lymphæ-ductuum obtinet copiam, quantam vituli-
 nus. 13.
 Eruptio pelvis ab externa renis parte. 14.
 Vermes in ventriculis equinis geniti. 15.
 Vituli caput monstrosum. ibid.
 Glandulae nervosae in hepate repertae. 16.
 Arteriae vermibus repletae. ibid.
 Duae Venae umbilicales in uno hepate. ibid.
 Vertebrarum lumborum coalitus. 17.
 Costae cum vertebra coalescentia. ibid.
 Colli vertebrae coalitae. ibid.
 Vermis in hepate muris repertus. ibid.
 Exortus arteriae oesophageae variat. ibid.
 Vermis in rene. ibid.
 Geminus ductus in pancreate humano. ibid.
 Ren sinister tabe confectus. 18.
 Pelvis bifurcata. ibid.
 Arteria quaedam Bronchialis à me dicta, sanguinem arteriosum ab Aorta ad pul-
 nes amandans. 19.
 Vermis supra omentum repertus. 22.
 Vesica fellea vaccina sesquipintam fellis continens. 23.
 Porus bilarius lapideo-tartarea materia refertus. ibid.
 Vermis in poris bilariis. ibid.
 Totius mesenterii consumptio. ibid.
 Anatome rigidae vaccae. 24.
 Duo ductus Salivales ab una glandula maxillari inferiori. ibid.
 Vasa sanguinea in splene humano ab iis, quae reperiuntur in vaccino, differunt. ibid.
 Duo ureteres ab uno rene. 25.
 Calculus in hepatis parenchymate repertus. ibid.
 Hydatides degenerant in Atheromata, Steatomata, & Melicerides. ibid.
 Ductuum Salivalium inferiorum oscula arte manifestari possunt. 26.

F I N I S.

2
FREDERICI RUYSCHII,

Anatomes, Chirurgiæ, & Botanices Professoris,

OBSERVATIONUM

ANATOMICO-CHIRURGICARUM

CENTURIA.

Accedit

CATALOGUS

RARIORUM,

Quæ in Museo RUYSCHIANO asservantur.

Adjectis ubique Iconibus æneis, naturalem
magnitudinem repræsentantibus.



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS.

M. D. C. C. X X I.

FRANCISCAE ACADEMIAE

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

ANATOMIA

DE ANATOMIA


DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA



AMSTELÆDAMI

ADRIANVS WILHELMVS

1714

VIRIS

Illustribus & Amplissimis

D^N. JOHANNI HUYDEKOOOPER,
Equiti, Domino in Maarseeven & Neerdyk, &c.

D^N. JOHANNI HUDDE,
Domino in Waveren, &c.

D^N. NICOLAO WITSEN, I. C.

D^N. JOANNI de VRIES,

Consulibus & Senatoribus Reipublicæ Amstelodamensis, optimè meritis ac merentibus,

Dominis, Fautoribus ac Patronis perpetim Venerandis,

Salutem & perpetuam Felicitatem precor

FREDERICUS RUYSC'HIUS.

Illustres & Amplissimi Domini,



Uam Illustrium Amplitudinum Vestrarum benignis auspiciis, & favore jam ab Annis viginti & ultra exerceo Anatomes & Chirurgiæ Professionem, ejus labores & qualescunque fructus jure meritissimo, Inclyto Nomini Vestro consecrantur. Postulat, imò jubet hoc debitum pro singulari toties immerenti exhibitâ benevolentia Vestra gratæ mentis officium. Ne enim tum alia

innumera & continua Vestra in me meosque beneficia, tum imprimis quoque illud, quo præter mox memoratum adhuc alio, Botanices scilicet, Professorio munere nuper me dignati estis, ingrato obruantur silentio, nunquam non summoperè mihi enitendum & existimo & profiteor. Ecquod verò grati animi testimonium isti meæ Anatomien Chirurgiamque docendi provinciæ magis affine (licet Vestris insignibus erga me meritis plane impar) depromere possem, quàm curiosorum non minus ac utilium Observatorum hanc supellectilem Vestro non solùm conspectui exponendam, sed & Amplissimo Nomini inscribendam; præsertim, postquam Vestro indultu insuper obtinui exoptatam in publico Nosocomio Cadavera aperiendi, eorumque intimos Viscerum recessus rimandi libertatem. Sic igitur eorum, quæ tum ibi tum & alibi animadvertere licuit, historiam & enarrationem typis exscriptam Vobis, Illustres & Amplissimi Viri, demissè offero & in sinum Vestræ tutelæ & benevolentiae devolvo; certâ fiduciâ, hoc devoti erga vos obsequii mei monumentum exceptum à Vobis iri benignis vultibus, & eâ comitate, quâ me ipsum nunquam non respicere consuevistis. Quod quidem eò magis sperare me jubet ista, quam nullo non tempore sincerè contestari Voluistis, benigna conatum meorum approbatio. Precor Deum Opt. Max. Viri Illustres, ut bono publico quàm diutissimè Vos servet incolumes, & felicem hujus Reip. gubernationem, saluberrima consilia & prosperrimos negotiorum quorumvis successus Vobis omnibus & singulis constanter largiatur. Amstelodami die XXIII. Mart. clc lcc xc.

Leçtori Benevolo.



Medicinam non originem tantum, verum etiam incrementum ab Experientia sumpsisse, nullamque proinde artem esse, cui tum stabiliendæ tum perficiendæ eadem experientia adeo sit necessaria, jam olim ab Hippocrate, aliisque postmodum gravissimis Authoribus est demonstratum.

Cum autem *Experientia*, teste Galeno, sit *observatio & memoria ejus, quod sæpe & eodem modo visum est*, mearum equidem putavi partium, nonnulla eorum, quæ per viginti tres annos (quibus in vastâ ac populosâ hâc Urbe non solum Medicam Praxin exercui, sed & frequentissimas Cadaverum tam privatim in Nosocomio nostro, quàm publicè in Theatro Anatomico, peregi dissectiones) observare mihi contigit, in lucem emitte: sicque hâc etiam viâ Artis nostræ incrementa pro viribus promovere. Qui certè scopus, nemini non è Medicorum Filiis cordi esse debet, simul ac & obscuritatem & imperfectionem, quibus unâ cum tot aliis scientiis & ipsa adhucdum Medicina laborat, seriò expenderit. Sordidum enim imò vilis animæ haud fallax indicium foret, proprio solum lucello in exercenda Praxi invigilare, tantâque aviditate oculis implendis esse deditum, ut ipsius etiam Artis ægritudines & infirmitates nihil ipsum afficiant. His verò, qui sterilibus quibusdam otiosi ingenii figmentis, & macris speculationum ratiocinationibus subvenire anniteretur, næ ille ægræ Medicinæ Medicum sese proderet. Mallem igitur phænomena & memorabiles rerum eventus sedulò notare, ac fideli observatorum commemoratione Reip. Medicæ inservire, quàm neglecto Experientiæ fulcro, caducas ratiocinatorum chimæras in aëre fabricari. Detinuit me hætenus ab opere isthoc temporis scribendi, per Praxin satis fervidam imprimis erepti, penuria; & forsân diutius detinuisset, ni sinceræ quorundam exhortationes, imò preces, me dudum urfissent, & tergiversanti calcar addidissent. Quapropter tandem negotio huic me accingere, & passim consignatas observationes ex angulis conquirere volui; quarum nunc fasciculum hîc tibi, *Leçtor Benevole*, exhibeo, longè majorem futurum, nisi quidam scriptitandi libidine æstuantes, ac interim rerum copia sufficiente destituti subinde curiosa quædam observata ac experimen-

A D L E C T O R E M.

rimenta mihi tacitè furrupiffent, ac me inconsulto imò nec nominato, publica luce jam antè donassent. Quod, an pio scopo me labore editionis exonerandi, an verò nuditatè suam alienis plumis contegendi illisque vanè superbiendi proposito effecerint, haud arduum erit hariolari omnibus iis, qui arrogantiaè humanæ genium & quid non turgiduli quorundam homuncionum spiritus audeant, penitè cognoverint. Gaudeant interim suâ sordidè & iniquè acquisitâ gloriolâ, quæ sicut in tenebris solùm radicata, sic ejusdem fructus in tenebris quoque emorientur. Mihi sufficit, ea, quæ in promptu habui, hâc vice in unum collecta Eruditorum Orbi exponere, ut Viris Cordatis & Ingenuis, eorumque iteratis persuasionebus morem geram. Unde nullius Zoili, quicumque fuerit, invidus oculus me retrahere valet. Quod si qui, aliena rodere assueti, perversum de hoc labore meo judicium ferre, & vel minimo errore (si qua fortè per humanam infirmitatem occurreret) apprehenso, illicò cavillari sategerint, nil reponam, nil pronunciabo aliud quàm

Musca pupugère Maronem.

Te verò, Lector Candide, Observationum harum lectioni intentum Prologus hic noster non morabitur. Evolve igitur, si lubet, paucarum paginarum Opus; unde, varias afflictorum miserias conspiciendo, Humilitatis, & mirabilium Summi Numinis in Natura Operum excellentiam contemplando, Laudis & grati erga Sapientissimum Creatorem animi motus in te exurgat & perpetuum incitamentum. Salve & Vale.

E L E N C H U S

O B S E R V A T I O N U M.

O B S E R V A T I O I.

Mirabilis Calculorum sectio in Octogenaria.

O B S E R V A T I O II.

Aneurisma Brachii periculosum feliciter curatum.

O B S E R V A T I O III.

Patellæ fractæ fractura à causa notatu digna.

O B S E R V A T I O IV.

Fractura ossium duorum Carpi, post tres annos nondum coalita.

O B S E R V A T I O V.

Os Capitis denudatum, ab aëre licet nigrescens, tamen absque visibili lamellarum separatione restitutum.

O B S E R V A T I O VI.

Uteri Polypus carnosus.

O B S E R V A T I O VII.

Uterus scirrhusus & deformis, qui in magnam molem auctus, extra pudendum propendebat.

O B S E R V A T I O VIII.

Vesica Ovilla quasi in duas partes divisa.

O B S E R V A T I O IX.

Verus Uterus è corpore subinde prolabens.

O B S E R V A T I O X.

Uteri inversio à partu.

O B S E R V A T I O XI.

Fœtus à Funiculi Umbilicalis mirâ contorsione necatus.

O B S E R V A T I O XII.

Uteri ulcus malignum.

O B S E R V A T I O XIII.

Diabetes à Renibus male affectis.

O B S E R V A T I O XIV.

Superfœtationis exemplum.

O B S E R V A T I O XV.

E calculis in uretere hærentibus, Ischuria lethalis.

O B S E R V A T I O XVI.

Eruptio Ovarii post abscessum nimis profundè perforatum.

OBSERVATIO XVII.

Hydrops Ovarii muliebris.

OBSERVATIO XVIII.

Tumor Pilosus in Omento repertus.

OBSERVATIO XIX.

Orthopnœa, ab obstructione & expansione vesicularum Pulmonis orta.

OBSERVATIO XX.

Idem malum, ab Obstructione vesicularum Pulmonis ortum.

OBSERVATIO XXI.

Idem affectus in puero observatus.

OBSERVATIO XXII.

Partus mirabilis, in quo insolita via clausura, arte tamen reaserata.

OBSERVATIO XXIII.

Puella Pudendum monstrosè conformatum.

OBSERVATIO XXIV.

Uteri lateralis portio in partu procidens.

OBSERVATIO XXV.

Os uteri in partu prolabens.

OBSERVATIO XXVI.

Uteri à partu inversio ab imperita manu reddita lethalis.

OBSERVATIO XXVII.

Hydrops è congerie Hydatidum sacco inclusus.

OBSERVATIO XXVIII.

E Placentulis post fœtus exclusionem in utero remansis, Pseudomola.

OBSERVATIO XXIX.

Massa Cruoris coagulati quandoque Molam mentiens.

OBSERVATIO XXX.

Penis cancrofi amputatio.

OBSERVATIO XXXI.

Vesicula fellea intus cellulis distincta, & calculosâ crustâ obducta.

OBSERVATIO XXXII.

Menses à membranâ vulvam claudente suppressi, perque hujus incisionem evacuati.

OBSERVATIO XXXIII.

Placentæ Uterinæ in Hydatides degeneratio.

OBSERVATIO XXXIV.

Tumor Lumbaris in fœtu, cum Spina bifida.

OBSERVATIO XXXV.

Idem affectus in infimâ Ossis Sacri parte repertus.

OBSERVATIO XXXVI.

Tumor similis in lumbis puellæ lethalis.

OBSERVATIO XXXVII.

Ab Aneurismate Arteriæ Aortæ Costarum Caries.

OBSERVATIO XXXVIII.

Monstruosum Aneurisma.

OBSERVATIO XXXIX.

Scirrhus Ventriculi lethalis.

OBSERVATIO XL.

Cephalæa à Setaceo applicito cessans, eodemque remoto recurrens, idque aliquoties.

OBSERVATIO XLI.

Ex aperto Bubone, copiosus Lymphæ effluxus peculiari arte inhibitus.

OBSERVATIO XLII.

Ex Ulcere Penis Hæmorrhagia enormis, arte facili quidem at singulari cohibita.

OBSERVATIO XLIII.

In puerperæ cadavere Os Uteri hians, & pelvis humoribus repleta.

OBSERVATIO XLIV.

Succini Globulus diu in Naribus hærens topko obductus.

OBSERVATIO XLV.

In Hydropicæ Cadavere Observata varia, inter quæ, Hepatis glandulæ admodum tumefactæ.

OBSERVATIO XLVI.

Hydrops Ascites ex Hydatidibus.

OBSERVATIO XLVII.

Cranii ex contusione fissura ipsas suturas pervadens.

OBSERVATIO XLVIII.

Fungus Palati cum carie, scalpello & cauteriis feliciter extirpatus.

OBSERVATIO XLIX.

Similis Casus, dissimilis verò eventus, ob Medicastroorum inscitiam.

OBSERVATIO L.

Hepatis durities & suppuratio feliciter finita.

OBSERVATIO LI.

Ren, Hepar, Renes succenturiati, &c. pro Glandulis sanguineis non ineptè haberi possunt.

OBSERVATIO LII.

Tumores à postico capite infantum pendentés, ipso capite majores.

OBSERVATIO LIII.

Vulnus Thoracis penetrans, cum egressâ Pulmonis portiuncula, sanatum.

OBSERVATIO LIV.

Vulnus Orbitæ Oculi lethale.

OBSERVATIO LV.

Acicula deglutita per inguinis abscessum exitum quærens.

OBSERVATIO LVI.

Asthma serosum cum notabili renis calculo.

OBSERVATIO LVII.

In puello trienni, calculi insolitæ magnitudinis.

OBSERVATIO LVIII.

Molarum Origo & Natura.

OBSERVATIO LIX.

Vulvæ Rectique Intestini Gangræna, & perforatio feliciter curatæ.

OBSERVATIO LX.

Capitis Contusioni solo fomento, absque incisione per imperitum temerè commendatâ, feliciter prospectum.

OBSERVATIO LXI.

Uteri post partum inflammatio subinde ab Obstetricum temeritate oritur.

OBSERVATIO LXII.

Lien in Pelvim prolapsus, ejusque naturalem locum occupans analogum aliquod corpusculum.

OBSERVATIO LXIII.

Tumor ventris oblongus post partum, ex Omenti coarctatione.

OBSERVATIO LXIV.

Vermes passim intra viscera delitescentes.

OBSERVATIO LXV.

Hepar magnâ ex parte in hydatides degeneratum & ab imperito temerè confossum.

OBSERVATIO LXVI.

Excisus Lien vivi Canis, non obstante notabili hæmorrhagiâ superstitis.

OBSERVATIO LXVII.

Spina Dorsi in circulum recurvata.

OBSERVATIO LXVIII.

Ventriculi & Intestinorum ob inediatam prodigiosa contractio.

OBSERVATIO LXIX.

Valvulæ Cordis osseæ & coalitæ.

OBSERVATIO LXX.

Partium quarundam induratio in Hydropicâ.

OBSERVATIO LXXI.

In fœtu cutis circa Umbilicum defectus lethalis.

OBSERVATIO LXXII.

A Cutis circa Fœtus Umbilicum defectu Viscerum profusio.

OBSERVATIO LXXIII.

Casus non minus notabilis circa cutis musculorumque abdominis defectum.

OBSERVATIO LXXIV.

A Pyloro relaxato Appetitus caninus.

OBSERVATIO LXXV.

Notabile vesicæ vulnus feliciter sanatum, succedente Hernioso tumore.

OBSERVATIO LXXVI.

Linguae Ulcerosæ durities scalpello & cauterio extirpata.

OBSERVATIO LXXVII.

Polypi in Antro Highmori hærentes.

OBSERVATIO LXXVIII.

Vesicæ scabies interna, unâ cum excrescentiis glandulo-carneis.

OBSERVATIO LXXIX.

Circa Renum vasa mirabilis naturæ lusus.

OBSERVATIO LXXX.

Renis in adulto inæqualis superficies.

OBSERVATIO LXXXI.

De tumore spongioso, seu ossivoro memorabilia.

OBSERVATIO LXXXII.

Alveoli Dentium ob varias causas penitus consumti; unde dentium vacillatio & casus.

OBSERVATIO LXXXIII.

Sterilitas à Tubarum Fallopiarum clausurâ.

OBSERVATIO LXXXIV.

Verosimilis Lochiorum eruptio per Tubas Fallopianas in abdominis cavitatem.

OBSERVATIO LXXXV.

Verosimilis eruptio menstruorum per Tubam Fallopianam in pelvim.

OBSERVATIO LXXXVI.

In Hydropici Cadavere Hepar malè & quomodo affectum.

OBSERVATIO LXXXVII.

In simili alio, Hepar itidem malè affectum unâ cum Calculo in ductu Cystico.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Uteri in alterutrum latus retractio.

OBSERVATIO LXXXIX.

Calculus Vesicæ cum hujus ad digiti usque latitudinem purulentâ incrassatione.

OBSERVATIO XC.

Vesicula fellis sæpius (præsertim in Vitulis) bifurcata, ast rarissimè, si unquam, in totum duplex.

OBSERVATIO XCI.

Ilei affectus variæ causæ, per varia exempla demonstratæ.

OBSERVATIO XCII.

Enormis Intestini Coli dilatatio.

OBSERVATIO XCIII.

Uteri motus imaginarius & verus.

OBSERVATIO XCIV.

Prodigiosa Ureteris, integram pintam continentis, dilatatio.

OBSERVATIO XCV.

Post Dysuriam scirrhusa Intestini Recti incrassatio, & mira coarctatio.

OBSERVATIO XCVI.

Similis Recti Intestini incrassatio.

OBSERVATIO XCVII.

Placentæ extractio à peculiari funiculi in eandem insertionis modo redditur difficilis.

OBSERVATIO XCVIII.

Hernia Cystica, cui ex terrore junctæ Bubonocèle.

OBSERVATIO XCIX.

Renum & Ureterum Ovillarum mirabilis expansio.

OBSERVATIO C.

Glandis in Pene vera structura, noviter detecta.

FREDERICI RUYSCHII
OBSERVATIONES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

OBSERVATIO I.

Mirabilis Calculorum sectio in Octogenaria.



Nter omnes corporis affectus, qui hominem miserè infestare solent, haud infimum locum obtinet Calculus Vesicæ. Hoc malum, quantumvis in Batavia nostra admodum frequens, rarissimo & inaudito tamen modo sese nobis nuper obtulit in Octogenaria, præ dolore admodum emaciata, & à viginti annis propendentiam uteri perpessa, cum intolerabili mingendi difficultate & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quàm hoc diutius perpeti, præsertim postremis duobus annis.

Tandem mense Maio anni 1681 me vocari jussit, de Uteri propendentia, & mingendi difficultate conquerens. Mirabar Vetulæ querelas, quoniam nunquam à solo Uteri prolapsu ita dolere solent mulieres, verendumque esse adjeci, aliquid mali, præter Uteri prolapsum, hætenus in alta nocte latuisse. Hisce auditis, misera visum & ulteriorem explorationem (sine quibus nil certi asseverari poterat de absconditi morbi essentia) non renuit, ostenditque mihi uteri, justo paulò majoris, prolapsum, eâdem formâ & magnitudine, quâ illum expressit Sculptor. Palpitando hunc uterum, calculos sentire putabam, nec fefellit! quamvis circa calculorum formam deceptus: videbantur enim tenuiores laminæ calculosæ, (Belgicè *Leyen*) qui post incisionem reperti sunt angulosi & crassissimi, ut ex annexa figura liquet. Non autem interim certè determinare poteram, utrum locum haberent dicti calculi in

ipsa uteri cavitate, an verò inter ejus membranas, vel in aliqua vesicæ portione. Videbantur quidem uteri locum occupare, qui totus, quantus (ut Fig. prima demonstrat) è corpore propendebat, sine ulla vesicæ portione, (ut nobis videbatur.) Hisce visis & exploratis, calculorum exsectionem proposui: accersuntur magistri, Petrus Adriani filius, & Andreas Boekelmannus, de re Chirurgica benè meriti, qui eandem quoque Operationem commendabant, proximo die instituendam. Operationem in sequentem diem dilatum iri misera illa vetula audiens, lamentari cœpit, exclamans, O! me miseram, non reversuri estis, relinquetis me, &c. quibus querelis permoti, illicò operationem instituimus, solâ incisione, secundùm uteri propendentis longitudinem, extraximusque momenti temporis spatio, Calculos quadraginta & duos, partim instrumentis, partim solis digitis, quorum magnitudinem & formam videtis, Fig. 2.

In hac operatione non admodùm doluit ægra, eaque peracta, & hoc onere exonerata, atroces illicò evanuerunt dolores, quos tot annis passa fuerat, & satis commodè vivere cœpit. In ipsa sectione, præter guttulas sanguinis, aliquid liquoris promanabat è vulnere, unde suspicabamur, vesicam quoque esse in procinctu; nec falsò, nam sequenti die hoc penitus investigantes, & siphonis ope liquorem per meatum urinarium injicientes, eum vulnere exire reperimus: quod, ut & lotium sequentibus diebus per vulnus stillans, nobis manifestavit, calculos dictos vesicæ portioni simul cum uteri mole prolapsæ, inhæsisse.

Hoc urinæ stillicidium haud exiguo nobis fuit obstaculo in vulneris curatione: quæ tamen (gratiæ Deo ter opt. max.) brevi peracta fuit, sequenti methodo.

Aliquot diebus post Balsamo Arcaei illitum vulnus: labia ejus arctissimè adducta sunt emplastro diapalma tantillum terebinthinæ, ut magis adhæreret, recipiente; quod emplastrum scissum fuit, ut in annexa Fig. 3. videre est, superimpositis spleniis & ligaturâ convenienti.

Quum

Figur. I. Explicatio.

A. A. Pubes.

B. Uterus è corpore propendens cum

vesicæ portione simul prolapsa, eun-

dem (solo orificio interno excepto) investiente.

C. Uteri orificium internum.

Fig. 1.






Fig. 2.






OBSERVATIO I.

Figur. 3.



Quum autem hic faciendi modus expectationi non satisfaceret, propter Urinæ stillicidium continuum, & emplastri relaxationem, loco emplastri excogitavit Magister Boekelmanus anulum è plumbo, cujus extremitates recurvatæ attrahebantur filo, ut ex annexa Figura 4. liquet, unde labia vulneris tam arctè claudebantur, ut nihil Urinæ amplius stillaret, & sic intra triduum conglutinaretur vulnus.

Figur. 4.



In hoc affectu nonnulla consideranda, imò miranda occurrunt.

I. Uterum è corpore propendentem secum rapuisse tantam vesicæ portionem; quod rarissimè (si unquam) antehac visum est, quantumvis partes sint circa oscula continuæ.

Crediderim hoc in illa vetula accidisse, propter difficultatem mingendi, à calculorum copia ortam, unde conatus urinam reddendi fuere continui, & quidem tanti, ut per cohæsiorem dictam impediri non potuerit.

II. Quod moles è corpore propendens, & nil præter uterum mentiens, ob calculorum magnitudinem & numerum, nullam inæqualitatem, nec aliam formam sit adeptâ; superficies enim admodum erat æqualis, & figura uteri naturalis: vide Fig. 1.

III. Ad-

OBSERVATIO I.

III. Admirationi est, calculos omnes eandem ferè obtinere formam, & adeò æquales esse superficie, ac si essent planati. ut Fig. 2. repræsentat.

IV. Vulnus ad consolidationem pervenisse, quamvis parti vesicæ membranosæ inflictum, per quod urina assiduò stillabat.

V. Considerandum est, non omnes calculos in illa vesicæ portione, quæ uterum investiens simul è corpore propendebat, hæsisse; non enim satis amplas, ratione magnitudinis & numeri calculorum, sed nonnullos in ipsa operatione ab altiori & profundiori vesicæ parte descendisse, dubitandum non est.

VI. Inauditam lithotomiam, in muliere adeò annosa cum tanto successu, esse institutam; in mulieribus calculi dilatatione urethræ quidem extrahuntur, ast perquam rarum est, sectione vesicæ idem perfici.

OBSERVATIO II.

Aneurisma Brachii periculosum feliciter curatum.

Quod in dilatata vena Varix dicitur, in arteria præter naturam expansa Aneurisma est. Qui affectus tam difficulter curationem admittit, ut in vasis majoribus jure merito ab omnibus lethalis pronuntiandus sit.

D. Panhuysen, Cerevisarius Dordracensis, (nomen præter morem appono ob casus raritatem) pleni habitus & in flore ætatis, mense Maio 1681, post basilicæ dextræ venæsectionem, in Aneurisma ejusdem brachii incidit, paululum sub junctura cubiti, pisi majoris magnitudine. Huic affectui compressione, ut artis est, opitulari tentavit Chirurgus, ast incassum, tumore indies accrescente. Aliquot post diebus Amstelodamum sese contulit, consulitque primò in arte Medica expertissimum D. Doctorem le Blon, me, & magistrum Petrum Adriani filium, in curandis affectibus benè versatum. Unanimiter cutis incisionem & arteriæ constrictionem commendavimus. Operationem sanè ab Authoribus magis commendatam, & laudatam, quàm institutam; quod dicere non gravor, quia viginti abhinc annis, & quod excurrit, in hac
vasta

vasta civitate, ad quam sine numero confluunt afflicti, hanc operationem, in arteria adeo ingenti, nullus (quantum noverim) Chirurgorum instituit. Ægrotus, aliàs satis generosus, incisionem distulit, præferens levem tumoris compressionem, donec post diem unum atque alterum, suâ sponte erumperet dilatata arteria, utpote nuda, & nulla cute tecta. Aneurismatè suâ sponte aperto, magno impetu profiliit sanguis, donec dictus Chirurgus Bovistâ & ligaturâ ulteriorem sanguinis motum inhiberet. Hisce visis, patiens sese non sine virium imò & vitæ dispendio hoc malum diu perferre posse, rectè judicavit, consensitque propositæ à nobis operationi, sequenti die instituendæ; sicut etiam paracta est, præsentè quoque A. Cypriano M. D. & Lithotomo Ordinario, satis experto, qui opitulabatur Chirurgo supracitato. Primò allatus fuit annulus ferreus, (alutâ crassiori & molliori munitus, ne cutem offenderet) brachii parti superiori aut supra Aneurisma, applicandus, ad sanguinis motum rapidiorem ex parte inhiendum, quod instrumentum expectationi nostræ omnibus modis non satisfecit. Itaque confugimus ad alterum, quo arteria satis benè comprimebatur. Hoc applicito, cordatè Aneurisma denudavit magister Petrus ab omnibus fasciis & spleniis, imò & à Bovistâ, hac intentione, ut si sanguinis impetus tantus fuisset, ut non esset sistendo, & obrui vereremur à sanguine ante interceptionem arteriæ, illicò aperiret ipsum Aneurisma, & paxillo præcipitati rubri vel similis escarotici, ut & Bovistâ repletet Aneurismatis cavitatem. Quid fit? Aneurisma ab omnibus vinculis & spleniis solutum, nil ferè sanguinis emisit, quoniam sanguis factus erat trombosus, non solum in Aneurismate, verùm etiam per totum ferè brachium, gangrænâ jam correptum: quo viso, & instrumento aut annulo ferreo quoque adempto, multum cruoris per vulnus Aneurismatis expressit, & porrò Brachium secundùm longitudinem sat profundè incidit, ut sanguinem coagulatum, levi facta compressione, auferret, & gangrænæ eò commodiùs opem ferret. Hac facta incisione, sanguis arteriosus duobus è locis magna vi erupit. Læsarum arteriarum extremitates intercipiiebantur acu filo munitâ, (ast quàm difficile sit, arterias à nervis, & aliis adjacentibus partibus in illa operatione denudare, nosse nemo potest, nisi qui ejus-

modi operationi subinde interfuerit) ligabanturque exiguo frusto corii crassioris munitæ, ad arteriæ discissionem vitandam. Hisce peractis, Bovistâ & pulvere adstringenti repletum fuit vulnus, & impositis spleniis, laxâque ligaturâ, ob ulterioris gangrænæ metum, duabus manibus partes deligatas comprimendo per decem horas sic continuit famulus, ut novus sanguinis fluxus præcaveretur. Eâdem vesperâ ablata sunt ligatura, splenia, & aliquot bovistæ partes, ut gangrænæ statum videre liceret, quem pejorem non invenimus. Renovatam hanc deligationem famulus denuò continuit, donec sequenti die omnia renovarentur, excepto exiguo bovistæ frusto, quod in ea vulneris parte relictum fuit, ubi hæmorrhagiæ metus supererat. Tertio die, omnibus remotis, novam Bovistam eodem in loco applicuit Chirurgus, ligaturamque paulò strictiùs circumduxit, ita ut famuli manus diutius non fuerint necessariae: interea gangrænæ prospeximus linteo carpto theriacâ cum spiritu vini dilutâ madido. Quarto die bovistam omisimus, & forcipis extremo infimum filum, quò extrema pars arteriæ erat ligata, solvimus, frustum corii supra dictum satis firmiter arteriæ adhærens in vesperam relinquentes. Quinto die solvimus alterum filum, superiorem arteriæ partem constringens, relicto quoque corii frusto, quod arteriæ dilacerationem impediverat. Sexto die omnia in vulneris deligatione adimebamus, substituendo solummodo plumaceolos, digestivo imbutos, splenia, & ligaturam convenientem. Septimo die levis Hæmorrhagia suborta fuit, quam brevi, stegnotico, puta Bovistâ & pulvere astringente, sedavimus. Sequenti die hisce ademptis in fundo vulneris visui sese obtulêre arteriarum extremitates, antea ligatæ, nunc vero coalitæ, fusci coloris, quasi gangrænâ correptæ. Hisce applicuimus lintheum carptum, superimposito crassioris corii frusto, ut magis comprimeretur. Sequenti die horum loco usi fuimus Bovistæ quadratæ portione magnitudine alterius partis pollicis, ab una parte saliva madida & pulvere astringenti imbuta: Hoc frustum munivimus emplastro agglutinante. Hisce remediis obliterari, novâque carne videbantur occultari arteriarum dictæ extremitates. Verûmenimverò aliquot post diebus ambæ rursus in conspectum sese dedêre, in duo Aneurismata nova degeneratæ, propter carnis dictæ laxi-

laxitatem, pulsus magnitudinem, & sanguinis abundantiam. Horum Aneurismatum alterum (pisi majoris magnitudine) suâ sponte apertum, sanguinem copiosum non profudit, propter citam à magistro factam compressionem; paucisque diebus, sectâ venâ, tenuiori diætâ præscriptâ, & debitâ compressione factâ sanatum fuit. Alterum verò Aneurisma, quantumvis comprimeretur, per plures dies curationi remoram fecit. Tandem verò quoque disparuit, convaluitque æger, incolumis in hunc usque diem vivens.

OBSERVATIO III.

Patellæ fractura à causa notatu digna.

Patellam propter duritiem suam haud frangi posse, nonnulli perversè asserunt. Nos verò, eandem non solum à casu graviore in genu frangi, experti sumus; verùm etiam sine casu; cujus rei historiam recensere animus est. Ante tres præter propter annos, visitavi cum magistro Petro, Adriani filio, virum satis robustum, qui à ponte descendens in terram ferè ceciderat, uno pede lubrico, resistens tamen quantum potuit, in terram non fuerat prolapsus, sed ab illa resistantia vehementissima transversim fracta ejus patella, & adeò quidem evidenter, ut inter utramque partem locari potuerit manus, una enim supra, altera infra genu sentiebatur. Fracturam, ut artis est, deligavit dictus magister peritissimus. Quid fit? Patiens, rectius dixerim impatiens, contulit sese secundo die Jispam, unde incurabilis post aliquot septimanas rediit, claudicans in hunc usque diem. Mirabar olim patellæ mollitiem in cadavere, & duritiem ejus in sceleto; & quantum hæ ab invicem differant, sat accuratè cum doctissimo Viro Matthæo Slado, Medicinæ Doctore celeberrimo, investigavimus, réperimusque eas duritie toto cœlo inter se differre. Ansa ergò erroris, quo nonnulli patellam frangi posse negarunt, exinde orta videtur, quod patellas Sceletorum solùm inspexerint. Quippe per exsiccationem ita indurantur, ut difficile sit eas frangere, recentes non item; quicumque enim utrasque ritè examinarit, reperiet recentes extrinsecè tantum duriori laminâ obductas, in-

trinfecè verò substantiâ osseo-spongiosâ præditas, instar diploes in Cranio.

OBSERVATIO IV.

Fractura Ossium duorum Carpi post tres annos nondum coalita.

FRacturam magnorum Ossium, puta Brachii, Femoris &c. aliquando talem esse, quæ nunquam ferruminetur, quantumvis ex arte tractetur, noto notius est. Ast mirandum, Offa Carpi, quæ admodum sunt exilia, fracta ex casu ab alto, non iterum coaluisse. Anno 1681 Nebulonem quendam (cognomine *Slagertie*) ob furtum ad suspensionem condemnatum, in carcere visitavi, & an ullo morbi genere antehac fuisset vexatus, interrogavi. Vixi, inquit, sat pancreaticè, & nullus ferè morbus me unquam infestavit, præter febrem, quam ante aliquot annos perpeffus fui: Præterea dextram, aiebat, in mensa planam reddere haud unquam potui, postquam semel cecidi ab alto. In hujus suspensi cadavere reperi, membranam, lienem ambientem, (quæ in naturali constitutione tenerrima) in sui medio, duobus in locis, ita incrassatam, ut maximi scriptorii calami crassitiem adæquaret; Hanc crassitiem à prægressa inflammatione ortam fuisse, dubitandum non est: quia sæpissimè ab ea ita incrassari membranas observamus. An verò inflammatio isthæc à febre supradicta, aut febris ab inflammatione provenerit, me latet. Posthac manum ejus cultro Anamico subjeci, & ex anterioribus Carpi ossibus duo fracta inveni, quorum fragmenta, juncturam manus violantia, obstaculo fuerant, ut manum in mensa planam reddere non potuerit: & quod magis mirum est, ossa dicta à triennio fracta, nondum erant ferruminata aut conjuncta, nec callo obseffa, quemadmodum adhuc videre est in nostro Musæo.



Fig. 6.




Fig. 7.



Fig. 5.

OBSERVATIO V.

Os Capitis denudatum, ab aëre licet nigrescens, tamen absque visibili lamellarum separatione restitutum.

Ossa capitis denudata & ab aëre denigrata non semper sensibilibiter separantur, aut lamellam osseam expellunt, ut autumant Authores. Vir quidam ab equo in capite percussus, in terram tanquam mortuus cecidit, cum tanta alterius ossis syn-cipitis denudatione, ut Imperialis tegendo vix sufficeret. Hæc ossis denudatio in totum nigricabat, circulo excepto, qui cuti proximus straminis latitudinem obsidebat. (vid. Fig. 5.) Hoc circulo albo de die in diem diminuto, patiens convaluit, sine ulla visibili ossis separatione, aut raspatorii usu, solo linteo carpto, partim sicco, ut os denudatum tegeretur, partim ad prospicienda vulneris labia digestivo & melle rosaceo illito.

OBSERVATIO VI.

Uteri Polypus carnosus.

Sicut Nares sunt corporis partes, per quas humores superflui continuè excernuntur; sic etiam Uterum humanum ei muneri inservire palam est. In Naribus tumores præter naturam, Polypi dicti, non rarò excrescunt. Nec etiam Uterus humanus ab iis est immunis. Non omnes polypi, è naribus erumpentes, ejusdem generis sunt; nonnulli carneam substantiam repræsentant; multi è contra membranæ involuti substantiam pituitosam & limosam naëti sunt. Modò nobis Polypus malignus & can-crosus occurrit: modò eum omnis malignitatis expertem offen-dimus. Anno 1673 me vocarunt ad mulierem, à longo tempore, ex fluore albo immani, Uteri prolapsu laborantem, è cujus orificio interiori variæ excrescentiæ (quas ob similitudinem cum polypis narium, eodem nomine aptè vocari posse puta-mus) membranaceo-carnosæ propendebant, sicut Figura 6. demonstrat. Hi polypi adeò dolebant, uterusque tantum humo-

B 3

ris.

Figur. 6. Explicatio.

A. Uterus humanus.

B. B. Oviductus abscissi.

C. C. Polypi carnosus ex uteri ore erumpen-tes.

D. D. Ligamenta teretia abscissa.

E. Vasa uterina.

F. Pars Vaginæ apertæ.

G. Ligamenta lata abscissa.

ris aquosi & acris quotidie profundeabat, ut ordinaria remedia proficere nil potuerint, & vehementiora usurpare non ausi fuerimus, propter malignitatis indicia; & rectè, ut eventus docuit: Ulcus enim malignum mortem acceleravit, brevique post exspiravit ægra. Ejusmodi ferè tumores polyposos quos videtis Tab. 7. Gellius, Chirurgus Wormer-Veriæ expertissimus, mihi quoque misit, quos mulier quædam ibi habitans diversis vicibus excrevit.

Figur. 7.

Polypos carnosos utero excretos repræsentat.

OBSERVATIO VII.


Uterus Scirrhusus & deformis, qui in magnam molem auctus, extra pudendum propendebat.

MUlieri triginta circiter annos natæ Uteri admodum increfati propendentia tantam afferebat molestiam, ut incedere vix potuerit. Consultum fuit uteri extirpationem, post injectam ligaturam, moliri. Acu ergò tricipiti filo duplicato munitâ, operationem aggressus quidam magister ligavit satis fortiter uterum è corpore propendentem, ast utinam nil præter eam partem acu & filo comprehendisset! Patiens per diem unum atque alterum nihil reddidit lotii, quod nobis ansam dedit suspicandi meatum urinarium simul acu & filo esse constrictum, prout eventus quoque docuit. Ægrotæ miserandæ, brevi post denatæ, cadaver aperui, & conjecturam nostram non inanem fuisse advertimus; scilicet meatum urinarium simul cum uteri corpore tam arctè ligatum, ut nil lotii reddere valuerit. Hic mihi, quid de uteri propendentia statuendum sit, perscrutandi locus fuit. Notum est, multos reperiri qui perhibent, uterum ipsum nunquam è corpore posse prolabi. Ex iis qui contrarium propugnant, nonnulli, in prolapsu uterum quoque inverti, alii uteri prolapsum nil nisi vaginæ propendentiam esse, asserunt. Litem dissipavit cadaver hujus miserandæ foeminæ, aperto enim abdomine, in pelvi, qui locus est uteri, nil vidimus, præter unum ex Ovariis, cum annexa tuba & ligamento lato. Uterus totus quantus & non inversus propendebat, & adeo deformis ac ingens factus, ut nunquam ante cadaveris apertio-

nem



Fig. 8.



Guttae Sanguineae.





Fig. 10.



Fig. 9.







Fig. II. obs. 1x.



A. *Corpus Uteri*
B. *Os Uteri jnter*
C. *Pubes.*

A

B

C

nem uterum esse dixissem, nisi in extimæ partis centro osculum conspexissem, è quo levi opera guttulas aliquot sanguinis exprimebam, ceu apparet Figura 8. Quid ulterius circa vaginæ & uteri propendentiam ac inversionem &c. observarim, è porro memorandis casibus palam fiet.

OBSERVATIO VIII.

Vesica Ovilla quasi in duas partes divisa.

Geminam vesicam urinariam in corpore humano nunquam reperi: duplicatam verò aut in duas partes divisam in quadrupedibus aliquoties offendi, quarum nonnullas domi refervo. Si causam respiciamus istius duplicitatis, facile erit colligere, illud magis locum habere in corpore quadrupedum quàm hominum. Notum enim est, solos quadrupedes urachopervio gaudere, qui urachus, si in aut ante partum nimis extendatur, fundus vesicæ, è quo ortum ducit Urachus, non tantum apertus remanet, verùm etiam Urachus in tantam extenditur molem, propter affluentem urinam, ut alteram mentiatur vesicam; & sic vesica quasi duplex aut gemina appareat, ut vid. Figur. 9. in qua repræsentatur Vesica Ovilla, à dicta causa quasi in duas partes divisa, interveniente membrana tenui & rotunda, ut Figur. 10. conspiciendum exhibet, in cujus infima parte foraminulum spectatur, per quod urinæ in utramque cavitatem patebat aditus.

OBSERVATIO IX.

Verus Uterus è corpore subinde prolabens.

Mulier quædam aliquot abhinc annis per fossam (vulgò dictam *de nieuwe zijds Achterburgwal*) incedens, in Uteri totius prolapsum incidit, cujus magnitudinem & figuram apposui, ne quis posthac anceps hæreret, aut negaret, uterum posse prolabi. Misera ulterius progredi cùm non posset, ante fores patris Clarissimi Viri Domini Francii, Professoris celeberrimi, remansit, donec advesperasceret. Rogante

Ancillâ, ecquid ipsi damni obvenerit, & quare tam diu ante ædes remoraretur, non dubitavit affectum suum ancillæ revelare, & hæc, heræ suæ, dicti Professoris matri; quæ misericordiâ commota, eandem in domum suam recepit, Obstetricemque advocari jussit, ut uterum prolapsum reponeret; ast incassum, haud enim propter magnitudinem potuit. Posthac ego vocatus, eundem ad naturalem situm reduxi, atque ægra, partibus ritè munitis, illicò domum rediit, sine notabili incommodo. Verùmenimverò uterum haud semper posse restitui, si extra partum diu è corpore prociderit; nec semper opportunum esse, illud moliri, nôrunt periti; qui antequam hoc suscipiant, semper uteri prolapsi constitutionem diversam investigabunt; si enim à longo tempore prolapsus, tantus sit factus, ut facili negotio in pristinum locum redigi haud possit, aut patiens uterum à longo tempore extra corpus gesserit, vel uterus prolapsus induruerit, cum inæquali superficie, aut ulcere obsessus fuerit, periculum haud faciendum; reposito enim utero, pessimè sese habere solent ægræ.

OBSERVATIO X.

Uteri inversio à partu

INter affectus deplorandos, quibus mulieres sunt obnoxia, haud infimum locum obtinet Uteri totalis inversio, quod nunquam nisi in aut mox post partum accidere potest. Hic affectus si illicò non profligetur, mors statim subsequitur. Memini me bis una in septimana hoc vidisse, nec (nisi absque ullâ morâ opem ferret Obstetrix) ullam, præter uxorem cujusdam Hebræi, evasisse. Tantus enim utplurimum sanguinis est affluxus ad uterum propendentem, ut statim inflammetur, induretur, & propter impeditam sanguinis circulationem gangrænam concipiat. In hoc affectu, uterus totus quantus est, à partu invertitur. Quod non fit in uteri propendentia extra partum; tunc enim non invertitur, sed procidit tantum, ita ut os uteri internum, in extimo hujus propendentis uteri, reperiatur. Hic verò os uteri non sentitur, nec oculos incurrit, ut videtis Fig. 12. Oritur hoc malum nonnunquam ab Obstetricibus minùs expertis, funiculum umbilicalem plus quam
par




Fig. 12.



par est, attrahentibus, unde uterus non potest non subsequi. Aliquando etiam ortum ducit à conatibus, post partum remanentibus. Tempore, quo opem ferebam parturientibus, semel mihi contigit, cum foetus mortuum, placentamque extraxissem, uterum mox subsequenter conspicere, quo illico restituto, cruribusque, ut artis est, positus, brevi fuit curata ægra. Multoties Obstetrices non solum, verum etiam Chirur- gos, imò & Medicos hac in re esse hallucinatos, non est, Lector benevole, cur dubites. Nuper adhuc me accersere jussit Chirurgus quidam, qui in eodem casu conjicere haud potue- rat, qualis esset tumor è corpore propendens. Aliquoties me quoque vocarunt Obstetrices, mirabundæ, quòd viderent ejusmodi tumores à partu sese exferentes. Nonnullæ mihi ve- nienti dixere, hinc videbis molam magnam, utero firmiter ad- hærentem: aliæ, hinc habemus partum foetus monstrosi, &c. Hunc ergò affectum delineavi, ut unicuique Chirurgo, qui delineationem viderit, magis in memoria hæreret, & ne quis amplius in re tanti momenti, & subitam restitutionem expo- scente affectu, deciperetur. Vide Fig. 12.

Figur. 12. Explicatio.

A Portio uteri illicò à partu
inversi propendens. B. Pubes.
C. Uteri vasorum oscula hiantia.

OBSERVATIO XI.

Fœtus à Funiculi Umbilicalis mirâ contorsione necatus.

Sicut homini in lucem edito, innumerabiles mortis causæ imminent, ita quoque non paucae sunt constitutiones mor- bosæ foetum in ipso jam utero enecantes. Inter eas maximi est momenti funiculus umbilicalis contortus. Nuper foetus mor- tuus in lucem editus est, membranis chorio & amnio, integris existentibus, cujus funiculum umbilicalem mirè contortum in- veni; sicut quotidie in fune fieri videmus, quum post tensio- nem ejus, & unius extremi frequentiore circumgyrationem, ad invicem duo extrema ducuntur. Vide Fig. 13. Verosimile quoque est, malum istud à frequentiori circumgyratione foetus ortum duxisse in Utero, ejusque mortis fuisse causam: utpotè
C humo-

humorum circulatione per funiculum in totum impedita.

Figur. 13. Explicatio.

A. A. *Funiculum peculiariter contortum monstrat;* | B. B. *Placentam Uterinam.*

OBSERVATIO XII.

Ulcus Uteri malignum.

INter omnes corporis affectus, qui sexum infirmum vexare solent, haud postremum locum obtinent Uteri Ulcera maligna. Anno 1671. Mulierem quandam visitavi, quæ ab aliquot septimanis, ulteri ulcus contraxerat, cum tanto eoque continuo sanguinis profluvio, ut omnibus admirationi fuerit. Mortem sibi sæpius optabat, propter ineffabiles dolores earum partium, donec tandem remediis, ob loci incommoditatem & humiditatem nihil proficientibus, mors miseris finem imponeret. Aperto cadavere, uteri cervix ab ejus corpore attactu sese disjuncta, utpotè planè putrefacta. Intestina, ab inflammatione & excoriatione prægressis extrinsecè coalita, cæteraque satis sana offendi. Ejusmodi Ulcera uteri, quæ verè lethalia sunt habenda, posthac aliquoties videre mihi contigit, cum tanto non solum dolore, verum etiam conatibus egerendi adeò vehementibus, ut ægræ non essent ferendo, imò mori quàm diutius vivere maluerint.

OBSERVATIO XIII.

Diabetes è renibus malè affectis.

Vir quidam in ætatis flore, diu atrocibus nephriticis doloribus vexatus, renisque abscessum passus, in diabetem incidit.


Figur. 14. Explicatio.


A. *Renis dextri membranæ incrassatæ, & contractæ, substantiâ renis gladiolosâ in totum consumptâ.* | B. *Pelvis justo major.*
C. *Ureter tortuosus, & diversis in locis summopere à calculorum transitu, expansus.*

Fig. 14.



Fig. 13.








Fig. 16.






Fig. 15.



dit. Singulis septimanis dolium dimidium cerevisiæ ingurgitare difficile illi non fuit. Post mortem cadaver aperiendi copiam mihi fecere consanguinei. Viscera satis benè constituta, exceptis renibus & ureteribus, conspexi; uterque enim ren ex parte consumtus erat, præsertim dexter; cujus substantiâ planè consumtâ, ejus membranas summoperè incrassatas & contractas, pelvisque capacitatem adæquantes vidi; sicuti Figura 14. repræsentat. Præterea Ureteres admodum tortuosos, variisque in locis expansos offendi.

OBSERVATIO XIV.

Superfætationis exemplum.

UXor cujusdam Chirurghi Amstelodamensis Anno 1686. infantem robustum & viventem peperit. Sex horis post hunc partum, in lucem quoque edidit embryonem, cujus figuram & magnitudinem videtis infra Fig. 15. In hoc embryone notatu digna fuere, primò, quòd funiculus umbilicalis tot hydatidibus esset refertus, ut totus videretur concatenatio vesicularum aqueo humore refertarum; unde hoc? secundò, placentulam tantæ magnitudinis & crassitie inveni, ut in foetu trium mensium rarò crassiozem & majorem repererim.

Figur. 15. Explicatio.

- | | |
|---|--|
| A. Embryo, cujus caput respectu corporis ingentissimum. | instar appositarum particularum rotundarum sese produnt, uti adhuc videre est in Museo nostro. |
| B. Funiculus umbilicalis in hydatides degener. | D. Placenta Uterina solito crassior & major. |
| C. Artus, in quibus nulla forma manus aut pedis, ast verò | |

OBSERVATIO XV.

Ex Calculis in uretere hærentibus, Ischuria lethalis.

QUàm deplorabile malum sit Vesicæ calculus, nemini ignotum; multo tamen adhuc crudelior affectus, Calculus Renum, si tantæ sit magnitudinis, ut ureterem transire nequeat;

quia in hoc casu nil valet Ars Medica, nil quoque Chirurgia prodest. Exemplo sit Chirurgus quidam Amstelodamensis Anno 1682. qui à longo tempore nephriticus, multos calculos excreverat: demùm in Ischuriam spuriam incidens, (à qua femicupii beneficio semel liberatus à nobis fuerat paucis ante diebus) & vehementissimis ventris, crurumque doloribus, & vomitu materiæ nigricantis, correptus, vitam tandem cum morte commutavit.

In cadavere aperto, reperi præter duos calculos in rene dextro, unum in uretere sinistro, magnitudine & formâ olivæ exiguæ, cujus superficies innumerabilibus calculis & arenulis obfessa erat, qui omnem transitum Urinæ denegarunt. Vide Figur. 16.

Pars hujus Ureteris supra calculum, propter calculorum transitum admodùm erat dilatata, infra eundem verò naturalis capacitatis, ast rubicundior justo ab inflammatione excitatâ. Renem ejusdem lateris monstrosæ magnitudinis, ut & ureteris maximam partem, aqueo humore obsessum inveni; cujus liquoris motum sæpissimè percepit æger, cùm sese moveret, ut nobis indicabat.

Figur. 16. Explicatio.

- | | |
|---|--|
| A. A. <i>Venæ & arteriæ renales.</i> | D. <i>Venæ renalis ramus per ureterem dispersus.</i> |
| B. <i>Ren dexter in majorem molem extensus ob urinam in eo occlusam.</i> | E. <i>Calculus ingens in uretere subsistens.</i> |
| C. <i>Ureter à transitu calculorum & urinæ suppressione valde extensus.</i> | F. <i>Varii calculi exigui.</i> |
| | G. <i>Portio ureteris naturaliter constituta.</i> |

OBSERVATIO XVI.

Eruptio Ovarii post abscessum ventris nimis profundè perforatum.

QUàm necessarium sit, non solum Anatomico, verùm etiam Chirurgo, manum habere suspensam, nemo ignorat. Anatomici cautè partes dissecant; Chirurgis haud minori opus est circumspèctione in instituendis apertionibus. Novi Chirurgum, dum viveret, admodùm temerarium: is abscessum in hypoga-




Fig. 17.




Fig. 18.



gastro parte inferiori & laterali phlebotomo magno aperturus, tam profundè instrumentum adegit, ut in abdominis usque cavitatem penetraret. Qua facta apertura, momento simul cum pure, unum ex Ovariis extra corpus erumpebat, quo à me viso, digitisque benè explorato, sine notabili ægræ noxa, idem in naturalem locum intrusi; ita ut nullum inde ei damnum fuerit relictum.

OBSERVATIO XVII.

Hydrops Ovarii muliebris.

HYdrops Ovarii, aut (si ita loqui liceat) Ovorum, affectus est aliis satis visus, modò satis consideratus. Hydatidis audit apud Authores in quo nomine libenter acquiesco, modò de mali subjecto inter nos conveniat. Hoc ut plurimum (si non semper) ipsa ova esse animadverto, ita mutata, & in tantam aliquandò molem aucta, ut infantis caput non rarò superasse viderim. In apposita Figura 17. videtis hunc affectum ovarium ipsum superare. Quid mirum illam mutationem aut colliquationem fieri in Ovis humanis, quæ in statu naturali, humore feminali sunt referta? quoniam ipsum Cerebrum & glandulas in aquam resolvi aliquoties conspexi, & observationes aliorum quoque testantur. Huc referri meretur Ovum gallinæ prodigiosum, in hunc modum extensum; quale domi reservo, & curiosæ liberalitati eximii Domini Doctoris Almeloveen debeo, qui mihi ad dissectionem animalculum hoc suggessit.

Figur. 17. Explicatio.

A. Ovarium humanum.		valdè extensum.
B. Ovum in præternaturalem humorem degeneratum, & C.		Ovum ex ovario protuberans.

OBSERVATIO XVIII.

Tumor Pilosus in Omento repertus.

ANno 1683. aperuimus cadaver cujusdam mulieris, jam à quindecim annis hydropicæ, unde per abdomen ejus, trium

trium ulnarum spatio distentum, vasa sanguinea crassitie & capacitate calamum scriptorium maximum superantia, dispersa invenimus. Miserè autem per omnes illos annos fuerat afflicta hæc ægra nostra. Tandem post multos, & quidem intolerabiles dolores, incidit in gangrænam supra Umbilicum, qua separata, magno cum impetu, humor in abdomine contentus erupit, sine notabili foetore. Magister Abel van der Horst, de Arte Chirurgica benè meritus, spleniorum, & emplastrorum glutinantium usu ulteriorem inhibuit fluxum: utque partitis vicibus daretur exitus huic liquori, singulis quadrihoriis quantitatem sufficentem eduxit. Hic humor paucis post eruptionem horis, tantum concepit foetorem, ut nemo perferre potuerit. Quarto quintove post apertionem die, obiit misera patiens. Cadaveris aperiendi copiam nobis suppetebant consanguinei. In Omento digitum crasso & carnosum fixèque peritonæo adhærescente invenimus tumorem pugni magnitudine, quo secundum longitudinem aperto, primò paululum materiæ pultaceæ, albæ, nullo foetore præditæ, erumpebat. Hac emissa nil præter glomum durum, è capillis intricatis & crispis constantem, invenimus. Vide Figur. 18. Hi capilli diversæ erant longitudinis, nonnulli magnitudinem digiti, alii spithamam superabant. Hosce capillos microscopio subjectos planè convenire cum aliis capitis capillis reperi, excepto quòd nullis gauderent radicibus. In cæteris visceribus, nil notatu dignum observabam.

OBSERVATIO XIX.

Orthopnœa, ab obstructione & expansione vesicularum pulmonis orta.

IN Hydrope Ascite & Orthopnœa Virgo quædam, quadraginta præter propter annos nata, per aliquot jam menses suffocari videbatur. Non solùm labia, verùm etiam tota facies, foedum contraxerat livorem. Tandem, lipothymiis variis subortis, vitam cum morte commutavit. In cadavere culter Anatomicus sequentia detexit. Musculi abdominis (sibi invicem ex naturæ lege incumbentes arctissimèque cohærentes) hic adèò laxè cohærebant, ut solis digitis, levique operâ




Fig. 19.




Fig. 20.




Fig. 21.



operâ eisdem separaverim, quod in cadaveribus ex Hydrope defunctis pluries observavi. Latex aquosus in abdomine contentus, cum igni imponeretur, concreſcebat, lymphæ ad exemplum. Omnis pinguedo per totum corpus consumpta, Peritonæum incrassatum, Omentum scirrhofum & induratum. Intestina, ab inediâ longâ, coarctata & contracta. Venæ Spermaticæ ita dilatatæ, ut calamus scriptorium facillè admitterent, quod nunquam antehac in Virginibus, sed aliquoties in Gravidis observavi. Membranæ Hepar & Renes ambientes, duræ admodum & incrassatæ, Vesica fellea ferè vacua, Pulmo pleuræ adnatus. Cor solito grandius. Aqua pericardio inclusa copiosior, igni imposita incrassabatur. Ren dexter inversus, ut Fig. 19. demonstrat. In aliqua autem pulmonis parte inveni vesicularum pellucidarum acervum, ab aëre expansarum, & ita obstructarum, ut levi compressione eas ab aëre evacuare haud potuerim. Impulsum per asperam arteriam flatum, nullum commercium cum hisce expansis vesiculis amplius habere, propter earum obstructionem, expertus sum. Aëre per asperam arteriam vehementer adacto, disrumpebantur nonnullæ ex iis vesiculis. Ceteræ, aciculæ cuspide perforatæ, aërem emisere, & subsidere. Vide Fig. 20.

Figur. 19. Explicatio.

- A. Venæ cavæ truncus sub diaphragmate abscissus.
- B. B. Venæ renales, quarum sinister & superior ramus abscissus.
- C. Venæ renalis ramus per ureterem dispersus.
- D. Ramificatio venæ renalis antequam renem intrat.
- E. Pelvis renis.
- F. Ren dexter inversus & deorsum inclinans.
- G. Vena spermatica justo capacior.
- H. Ureter.
- I. Venula per glandulam renalem disseminata.

Figur. 20. & 21.

Vesiculas pulmonales obstructas, & ab aëris occlusionè expansas, exhibent.

Idem Malum ab Obstructione Vesicularum pulmonalium ortum.

ANno 1685. præsentibus Domino Sylvio Medicinæ Doctore expertissimo, & Magistro Heyunga, in Arte Chirurgica benè versato, Cadaver cujusdam mercatoris dissecai, qui à longo tempore dyspnœam passus erat, cum tussi & febricula continua. Hic affectus tantopere ingravatus est, postquam in aquam incidisset, ut temporis progressu respirare vix amplius potuerit, imò paulo post è vita discesserit. In cadaveris apertione observavimus quoque totum malum hæsisse in obstructa pulmonis parte, in qua omnes vesiculæ oppilatæ & extensæ apparebant, ut videre est Figur. 21.

OBSERVATIO XXI.

Idem affectus in puero observatus.


ANno 1686. dissecai cadaverculum pueri octo circiter annos nati, (præsentè Domino van der Burgh, Mercatore Amstelodamensi) qui ex eodem affectu denatus fuerat, in cujus pulmone idem nobis occurrit; ita ut crediderim malum hoc frequentius miseros affligere, quàm hæctenus ab Authoribus observatum, propterea quod apertionem cadaverum rarò admittant consanguinei.

OBSERVATIO XXII.

Partus mirabilis, in quo insolita viarum clausura, arte tamen reserata.


Mulierem posse concipere aut gravidam fieri Utero ipso è corpore ex parte propendente, non absolutè negandum est, quia illud semel (ut posthac referam) in matrona quadam observavi; rarum tamen est, & à paucis, (si ab ullo) antehac visum. Non minus rarum esse censeo, mulierem imprægnari salvâ manente membranâ hymene, idque ad tempus partus. Ast rarissimum, vaginam uteri, tempore partus, mem-

Fig. 22.



Incisio hymenidis.
Incis: membrana praternat: pone hymenem.

Fig. 23.



membranâ præternaturali ponè Hymenem esse clausam, sicut jam recensimus.

In Fossa Principis, è regione fossæ, vulgo dictæ *de Angeliers-graft*, tabacum vendebat eo tempore *Jan Pietersz.* Nomen & locum præter morem (solent plerumque id ægrè ferre, ad quos pertinet) apposui, quia omnium admirationem excitabit hæc historia. Hujus uxor in partu versans, foetum in lucem edere non potuit, quantumvis conatus, & labores partus essent adeò vehementes, ut clamoribus ejus transeuntes in dicta fossa detinerentur. Tandem me vocari jusserunt huic operi admotæ duæ Obstetrices, (nempe *Annetje Moer in de Blaauwe Pot op de Keyfers-graft*, en *Stijntje Moer in de Huyde-sstraat*) jamjam enim videbatur moritura misera illa patiens. Exploratâ difficultatis partus causâ, inveni membranam Hymenem esse integram, valde crassam & à foetus capite, exitum quærente, foras extensam. Hoc viso, incidendam esse dictam membranam, judicavi. Vocantur itaque *Andreas Boekelmanus*, & *Petrus Adriani filius*, Chirurghi expertissimi, quorum ultimus primò accedens, mecum hanc suavitè Operationem, quæ statim à nobis instituta est forfice & stilo excavato, ne foetus caput læderetur. Hac facta incisione (ut figur. 22.) frustra foetus exclusionem expectavimus, propter alteram præternaturalem membranam, crassam, vulvam profundius claudentem, foetusque exitum impredientem. Hac observatâ membranâ spem in angusto esse judicavimus: nè tamen simul cum foetu periret mater, hujus incisionem quoque moliti sumus. Quid fit? illicò operatione peracta, in lucem editur foetus vivus, ejulatibus vires satis robustas prodens, & in hunc usque diem salubriter vivens. Hisce omnibus non sine summo

D

leva-

Figur. 22. Explicatio.

- A. *Vulvæ labia à se invicem diducta.*
- B. *Nymphæ.*
- C. *Vagina membranâ præternaturali clausa, c. c. incisio per dictam membranam facta.*
- D. *Membrana Hymen.*
- E. *Meatus urinarius.*
- F. *Clitoris.*

levamine peractis, quæ jamjam videbatur cum foetu moritura mater, eluctabatur Dei ter Opt. Max. favore. Sequentibus diebus sollicita facta ægra, ob urinæ incontinentiam, quam persensit, non ob incisiones supradiçtas, sed extensionem immanem & diuturnam vulvæ, sphincterisque vesicæ, quod eventus quoque confirmavit: Nam post aliquot septimanas optimè convaluit, & adhuc pancreaticè vivit, simul cum foetu admirandi partus.

In hoc partu 1. considerandum, hymenem membranam in coitu fuisse illæsam, (cujus rei variæ reperiuntur in oculatissimi Bartholini Anatomia, fol. mihi 286. historiæ) sive à nimia crassitie, vel alia causa hic reticenda, ne verecundiæ limites transeam. Secundò, profundius, & ponè dictam hymenem vaginam fuisse occlusam à membrana quadam præternaturali, quæ, dubio procul, ortum duxit post imprægnationem ab excoriatione quadam vulvæ, ab humore acriori oriunda; videmus enim aliquoties vulvam excoriatam (cujus latera extra coitum ad se invicem concidunt) non solùm claudi, verùm etiam membranofum quid producere. Tertiò, Urinæ incontinentiam ortum duxisse non ab operatione aut incisionibus, sed à nimia vulvæ extensione. Nonnulli imperiti existimant omnem Urinæ incontinentiam Obstetricibus (aut Magistris qui foetum mortuum extraxêre), imputandam esse, ast inconsultò. Multoties enim provenit ab extensione nimia vaginæ, unde sphincter vesicæ, qui vaginæ arctè cohæret, ita extenditur, ut urinam per aliquot dies, imò septimanas, retinere non valeant puerperæ. Hanc sphincteris atoniam sæpissimè curavi: rarò verò curantur, si Urinam non retineant, à gangræna, quam parturientes sæpius contrahunt post vulvæ extensionem diutinam & immanem, aut digitorum attritum immodicum.

OBSERVATIO XXIII.

Puellæ pudendum monstruosè conformatum.

ANno 1670. Puellam sex dies natam visitavi, cujus pudendum cum umbilico unitum, aut potius cum eo, quod loco umbilici erat; nimirum chaos ex tuberculis excoriatis con-

constans; ut videtis Figur. 23. In hujus parte inferiore duo in conspectum sese dedere foramina, è quibus Urina guttatim continuè stillabat, præsertim cùm lachrymas funderet infans. Hunc autem infantem vesicâ destitutum fuisse, dubitandum non est, præsertim quia meatus urinarius quoque deficiebat. An ex terrore? Mater enim paucis ante partum septimanis ex alto ceciderat.

Figur. 23. Explicatio.

A. Chaos ex tuberculis excoriatis & carnosus constans.

B.B. Duo foramina urinam continuè eructantia.

C.C.C. Pudendum muliebre.

D. Membrana Hymen figuræ semicircularis, quemadmodum ut plurimum (si non semper) in nuper natis reperitur. In ætate provectioribus è contra circulum efficit

E. Nymphæ.

F. Labia vulvæ.

OBSERVATIO XXIV.

Uteri lateralis portio in partu procidens.

INumerabiles ferè sunt Uteri affectus, inter quos nonnulli tam rarò obveniunt, ut nullus Authorum mentionem eorum fecerit. Inter hos meritò numerandum censeo prolapsum veræ lateralis portionis corporis uteri parturientium, qualem semel tantum vidi. Mulier quædam in platea Judæorum, lata vulgò dicta, in partu versans, à conatibus vehementioribus incidit in tumorem durum, minoris pugni magnitudine, idque solummodo in latere dextro vulvæ. Hoc viso tumore, Obstetrix me vocari jussit, nesciens quid esset. Primâ fronte placentæ uterinæ portio mihi videbatur, quæ non rarò exitum ante foetum quærens, mihi hîc ferè imposuisset; ast verò re penitus investigatâ, veram uteri lateralem portionem esse deprehendi: quod eventus quoque edocuit: foetu enim in lucem edito, statim ad naturalem rediit locum, patiensque convalluit sine ulla ulteriori fomentatione, quâ usi sumus in partu, ne pars uteri prolapsa gangrænam conciperet.

OBSERVATIO XXV.

Os Uteri in partu prolabens.

PLacentam Uterinam imò Collum (Vagina dictum) in partu ante foetum sæpissimè exire, notum est. Verùm enim- verò mirari subit, os uteri internum in partu idem moliri, quod aliquoties observavi. Mirum dictu, quanta monstrositate sese offerat eo tempore dictum uteri os, & quanta circumspèctione opus sit in tali partu, norunt ii, qui hisce nobiscum adfuerunt casibus. In hoc statu foetus adhuc viventis exitum naturæ committendum esse existimo, & os uteri utraque manu retinendum. Denato vero foetu totum negotium in eo consistit, ut una manu, quantum possibile est, extrahatur, ne simul cum foetu prolabatur & invertatur uterus, eo tempore ad inversionem pronus.

OBSERVATIO XXVI.

Uteri à partu inversio ab imperitâ manu reddita lethalis.

QUam malè sibi consulant homines, qui ægri corporis sui curam imperitis & circumforaneis temerè committunt, variè tragici eventus quotidie, idemque sequens Observatio palam facit. Uxor cujusdam Lanionis peperit nuper foetum robustum, & illicò simul etiam cum placenta Uterus inversus sequebatur, uti videtis in Observ. 10. præcedenti. Quid fit? ignarus vocatur Medicafter, (cujus nomen præstat reticere) cui, dubio procul, ejusmodi deplorabilis affectus nunquam obvenerat. Is loco repositionis uteri in proprium suum locum, cultelli cuspide leviter tumorem tetigit, perscrutandi causa, qualis esset, an humoribus refertus tumor præternaturalis, an verò placenta uterina &c. Hoc temerarium & inauditum perscrutinium vitæ finem breviter imposuit, statim enim tanta suborta hæmorrhagia, ut non fuerit ferendo, quantumvis vocatus stegnoticis opitulari conarer; verùm omnia incassum; paucis enim horis post elapsis, & lipothymiis subortis ultimum diem obiit.





Fig. 24.



OBSERVATIO XXXVII.

Hydrops è congerie Hydatidum sacco inclusâ.

Quid fit Ascites membranis involutus, nemini ex illis qui Medicam Praxin exercent, est obscurum. Hic verò exemplum in medium profero multo rarius: scilicet vesicam bursulis aqueo humore refertis infarctam, aut saccum membranaceum crassum, & magnitudine stomacho haud absimilem, (supra quem etiam locatus erat) hydatidibusque repletum; idque in Cadavere asthmaticæ, cui respiratio adeò erat difficilis, ut nonnunquam ex orthopnoea videretur moritura; concomitantibus febricula lenta, & cardialgia frequentiori. Harum Hydatidum multas in sacco dicto membranaceo fluctuantes, alias quoque firmiter eidem adhærentes reperi. Vide Figur. 24.

Figur. 24. Expositio.

AAAA. Saccus membranaceus cruciali incisione apertus.

BBBB. Hydatides diversæ magnitudinis dictum saccum replentes.

CC. Vascula sanguinea per saccum disseminata.

CCCC. Dicti sacci crassities.

OBSERVATIO XXVIII.

*Ex Placentulis post fœtus exclusionem in utero remansis,
Pseudomolæ.*

Quot & quanta incommoda puerperis obveniant, ubi præeuntem fœtum maturum secundinæ non sequuntur, difficile dictu. Nonnullæ in uteri fluorem immodicum & irregularem, per intervalla repetentem, non sine cruciatibus, eâ de causâ incidunt. Aliis in magnam molem distenditur abdomen, cum respirandi difficultate, pedum œdemate, ventriculi anorexiâ, præcordiorum auxietatibus, animi deliquiis, & faciei pallore. Non rarò quoque mors illarum mi-

feriis imponit finem. Ita ut malum illud magni quidem momenti & periculofum fit, non verò lethale per fe, ficut voluere nonnullæ minùs peritæ Obfetrices. Non rarò per decimeftre, & quod excedit fpatium, in Utero remanet placenta, foetu jam in lucem edito. Mirum dictu, quantam mutationem & metamorphofin, ut ita loquar, placentæ præter naturam fubeant! Eas aliquando in Hydatides, aut veficulas è pedunculis dependentes, & humore aquofo refertas degenerare, poft hac demonftrabimus; nunc oculis veftris fiftimus retentas placentulas, perperam ab aliis pro molis habitas: pro molis dico, i. propter duritiem, craffitiem, formam, & carnofitatem, quibus descriptioni molæ funt conformes; ut mirandum non fit, easdem pro molis habitas effe ab iis, quibus occasio haud data fuit, quotidie nobifcum ejufmodi retentas placentulas cultro Anatomico fubicere. A quo tempore enim in hac vafâ civitate lectiones in ufum Obfetricum habui, quicquid rari ac infoliti in earum incidit manus, in redhoftimentum mihi femper afferunt. Rediens in viam, unde digreffus fum, dico, placentulas foetuum, duorum, trium, quatuorve menfium, fi diutius, quàm par fit, remaneant in utero, non tantum periculi, ac quidem mutationis afferre. Si verò placenta foetus maturi, aut feptimeftris, vel octimeftris remaneat, plus fubefit periculi, & fæpiffimè tota placenta in hydatides degenerat, quarum numerus aliquando tantus eft, ut gravidæ videantur mulieres, propter abdominis extensionem. Memini me bis fcutellam magnam ejufmodi hydatidibus refertam vidiffe ex iis, quæ per aliquot poft partum menses retinuerant placentas in Utero. Dixi fuperius placentulas, duorum, trium, quatuorve menfium abortûs, ita indurari, talemque adipifci formam, ut pro molis habeantur ab imperitis, modò diutius quàm par fit, aut per dies aliquot, in utero hæreant: humoribus enim cum foetu expulſis, contrahitur placenta ab Utero in hanc vel illam formam, & fic talpæ, ranæ, aut fimilis rei fpeciem aliquando induit: unde fæminæ nimis credulæ nugatoriifque fabellis addictæ, molas viventes, imò volantes, in lucem prodiiffe narrant, imò in partu præfentes, alias focias fuas moment, ut ſibi caveant ab ejufmodi molis, ne ſcilicet molæ iſtæ, ipſas adorianur & ſub veſtimentis ſefe inſinuent. Hiſce rejectis anilibus nugis, obſervatu dignum eſſe cenſeo, tales pla-

Fig. 25.



Fig. 26.




Fig. 27.



placentulas, si per septimanam aut diutius retineantur in utero, foetu in lucem edito, ita ab utero comprimi, ut non solum carne musculosâ solidiores evadant, verùm etiam formâ & magnitudine Uteri naturalis exteriorem faciem adæquent. Vide Figur. subsequentes.

Mulier ab undecim septimanis (ut ipsa mihi referebat) gravida facta, ab animi pathemate, abortiit: remanente, per aliquot hebdomadas, placentulâ; quæ, ab Uteri compressione, cum ad pristinam ferè magnitudinem & formam rediret Uterus, ita induruit, & deformis facta est, ante excretionem, ut, nisi ritè examinassem ejus substantiam, molam credidissem. Vide Fig. 25.

Alia quædam, in quintum mensem gravida, peperit foetum immaturum, & post eum quoque secundinam integram benè constitutam. Hisce in lucem editis, secuta est carnea moles, formâ & magnitudine Uterum naturalem referens; vide Figur. 27. Hâc incisâ & ritè examinâtâ placentulam quoque esse deformem, & justo duriolem, deprehendi. A quo tempore gesserit hanc secundam placentulam dictu difficile. An gemellis gravida fuerit, & uno in nihilum redactò, aut insciâ gravidâ excluso, ejus placentula remanserit; an verò ante hanc ultimam imprægnationem gravida jam fuerit, & embryone excluso, placentulam retinuerit, (quod pluries contingit) & de novo uterum gesserit, haud licuit investigando determinare.

Figur. 25. 26. & 27.

Placentulas, post foetus exclusionem, per aliquot hebdomadas in utero detentas, (unde ab uteri compressione, cum uterus ad pristinum ferè statum rediret, Uteri exteriorem faciem adeptæ sunt) repræsentant. Si verò dictæ placentulæ per aliquot tantùm dies remansere, duriores fiunt & formam diversam adipiscuntur, & nunc ranam, nunc talpam &c. repræsentare dicuntur.

OBSERVATIO XXIX.

Massa cruoris coagulati quandoque Molam mentiens.

Non solum placentulæ, post Embryonis exclusionem, in Utero per aliquod tempus remanentes, molam mentiuntur: verum etiam sanguis in Utero coagulatus, quem mihi Obstetrices sæpius pro molis, aliæ pro placentulis obtulêre. Hunc cruorem coagulatum, ab uteri compressione admodum durum, & in se coactum aliquoties offendi, vide Figur. 28. cui sæpissimè membranis analogum quid appensum invenitur, sicut post venæ sectionem in pede institutam, aquæ innatare videmus. Cùm hæc & similia mihi occurrunt, ad hæc duo respicio: Primò, an funiculi umbilicalis abrupti vestigium supersit. Secundò, an vasis sanguiferis gaudeant ejusmodi massæ, (sine quibus non possunt vocari placentulæ retentæ) & insuper notandum in placentulis remansis, quantumvis vasa sanguifera adsint, ut plurimum eadem sanguine casta reperiri, ita ut magis fibras, quàm vasa sanguinea referant.

Figur. 28. Explicatio.

AA. *Cruor coagulatus propter duritiem & colorem, molam mentiens.*

BB. *Membranis analogum quid.*

Figur. 29. Explicatio.

AA. *Cruor durus molam mentiens.*

OBSERVATIO XXX.

Penis Cancrosi amputatio.

Uterum prolapsum, & in prodigiosam molem auctum, extirpari posse, ex observationibus præcedentibus patet: quod tamen nunquàm moliendum sine catheteris immissione in Urethram, antequam ligetur Uterus, ne tam abominabile malum similiter sequatur, quale in præcedenti observatione septi-





Fig. 28.



septimâ refertur. Non minus etiam penis virilis desperatè corruptus extirpari potest, modò omnia rite peragantur. Rusticus quidam suburbanus à duobus annis incidit in scirrhum extimam partem penis obsidentem, tandemque in carcinoma exulceratum degenerantem, inque tantam molem auctum, ut pugni magnitudinem adæquaret. Joachimus Schraderus Chirurgus satis versatus, qui huic curæ præerat, in consilium vocavit expertissimum Dominum Doctorem Hiddingh, me, & Andream Boekelmannum, cum ejusdem filio Cornelio. Unanimiter extirpationem commendavimus, quemadmodum etiam subsequente die instituta est, & tanto (gratia Deo ter Opt. Max.) cum successu, ut jam, quantumvis pene privatus, domum redierit & incolumis vivat. Est autem Operatio illa hoc modo peracta: Cathetere per urethram in vesicæ cavitate immisso circumligavimus penem ponè malum supradictum funiculo, tenuiori quidem, sed tenacissimo, idque fortiter. Dolores ægrotus tam viriliter pertulit, (paucos enim audivi ejulatus) ut omnibus admirationi fuerit. Injecta hac ligatura, ita munivimus catheterem filo, ut è canali urethræ sese subducere haud potuerit. Sequenti die, novam injecimus ligaturam, ut eò citius emoreretur pars affecta. Interim totum involvimus penem vesicâ madefactâ ad foetorem arcendum, & lotium recipiendum. Quinto, ni fallor, die cultello membrum emortuum fuit ablatum, sine ulla hæmorrhagia, in totum enim erat emortuum. Relinquebamus interim adhuc per diem unum atque alterum catheterem in vesica, donec separatâ sua sponte ligaturâ, patiens eo non amplius indigeret. Restitutus jam, per instrumentum ex ebore confectum lotium reddit; in totum enim pars penis relicta in abdomen retracta est, ita ut illud instrumentum ventri adaptare debeat, lotium emissurus, ne vestimenta madefiant.

OBSERVATIO XXXI.

Vesicula fellea intus cellulis distincta, & calculosâ crustâ obducta.

Tunicam interiorem pori Bilarii in calculosam substantiam degenerare, in hepate vaccino rarum non est; hoc enim

sæpissimè à nobis repertum fuit. Idem etiam fieri in cista fellea, aliquoties observavi in eodem animali. Rarissimum verò, naturam idem moliri in vesicula fellea humana. Ante annos aliquot publicè dissecai cadaver humanum, cujus vesicula fellea, quasi in multas cellulas erat divisa, tunicâ interiori magna ex parte lapidifactâ. Quid mali ex eo contraxerit, dum viveret, patiens, haud potui perscrutari, nulli enim adstantium quod sciam, notus fuit. Bilis in dicta cistula justo crassior existebat, forsan à remora, quam fecerat in dictis cellulis, è quibus tam liberè effluere haud potuit; quemadmodum sæpissimè fieri videmus in poro bilario hepatis vaccini, dum nempe in hoc vel illo loco porus bilarius nimis contrahitur, & materia calculosa porum coarctavit, sicut Figur. 30. ostendit, aut vermes lati qui sæpe eo in loco inveniuntur, obstaculo sunt, quo minus sat promptè effluere possit. Tunc bilem puto crassiorem fieri: & quod observatu dignum est, bilis, quæ in vesicula fellea continetur, haud differt ab ea, quæ in poro bilario reperitur; ejusdem enim est consistentiæ & saporis, eâque de causâ assentiri minimè possum illis, qui sibi persuadent hanc utramque bilem non esse eandem, imò multum à se invicem discrepare consistentiâ; quod perversè judicarunt Poro bilario & Cistulâ felleâ benè constitutis. Si verò Porus bilarius è calculoso quodam concremento in hoc vel illo loco obturetur, non potest non ibidem incrassari bilis: Ast cæteris paribus, eandem obtinet crassitiem bilis, tum quæ in poro bilario, tum quæ in vesicula hæret. Itaque non immeritò Cistulam bilariam pro diverticulo bilis habendam esse censeo, ad quam, tanquam thecam, bilis amandatur, non solùm è radicibus vesiculæ felleæ (quas è fundo ejus ortum ducere autumant Anatomicorum Coryphæi, ubi tamen perpaucæ, si ullæ, oriuntur; plures verò è ductu cystico, ut Fig. 31. demonstrat,) verùm etiam è poro bilario, per quem, tanquam radicem maximam bilis non solùm ad intestina, verùm etiam ad vesiculam felleam defluit. Huic opinioni admodum favet, quòd Equi, Asini & multa alia animalia non gaudeant vesicula fellea, poro bilario illis sufficiente. Adde quòd in Hominibus & Vaccis aliquando à nobis reperta sit vesicula fellea, capacitate porum haud superans; vide Fig. 31.



Fig. 30.

Vesicula fell: in 2 part.



Fig. 31.



v.

Figur. 30. Explicatio.

- A. *Vesica fellea humana.*
- B. *Cellulæ in superficie internâ.*
- C. *Calculosa crusta.*

Figur. 31. Expositio.

- A. *Vesicula fellea bovina summoperè contracta & angustata.*
- B. *Ductus cysticus.*
- C. *Radix ejusdem ductus cystici.*
- D.D. *Porus Biliaris intus crustâ calculosâ obsessus.*
- E. *Ductus communis per quem bilis ad intestina amandatur.*

OBSERVATIO XXXII.

*Menses à membrana vulvam claudente suppressi, perque
hujus incisionem evacuati.*

Virgo viginti annos nata, & à multis mensibus valetudina-
ria, sæpissime conquesta fuit de Hypogastrii ponderosita-
te, & dolore intolerabili: ita ut mater ejus consultum duxerit
opem implorare Medicam. Malum indagandi causâ vocatur
mecum Andreas Boekelmannus Chirurgus expertissimus, qui
ex querelis & doloribus, singulis mensibus repetentibus, no-
biscum conjecit menstruorum præpeditum exitum causam vel
ansam esse totius mali: sicut eventus quoque edocuit: conva-
luit enim solâ incisione cujusdam membranæ ponè membranam
Hymenem sitæ, & totam vulvam perfectè cludentis. Mirum
dictu quàm tensa erat dicta membrana propter sanguinem illic
stagnantem, totam vulvam extendentem, & frustra exitum
quærentem. Mirandum quoque, sanguinem, qui illicò à
sectione ad libras circiter quatuor, maximo impetu, erumpe-
bat, neutiquam coagulatum, multò minus putrefactum, ast
nigricantem fuisse, sicut nobiscum attestantur Nosocomii Me-
dicus meritissimus Johannes Dankers ut & Abel van der Horst
Chirurgus expertissimus, qui huic operationi, nuper à nobis
factæ, pariter interfuere.

OBSERVATIO XXXIII.

Placentæ Uterinæ in Hydatides degeneratio.

Quantum Anatomicis frequens corporum dissectio, & ex ea desumpta experientia profit, nulla in re magis elucet, quam in partu præternaturali: de qua parcius quam par est, & minori exactitudine, multi scripsere Authores. Nunc de partu præternaturali (ratione matris) nobis erit sermo, in quo partu Placenta Uterina remansit, à nonnullis perperam pro conceptu falso habita. Plures sese offerunt causæ, quæ exitum placentæ post editum foetum impediunt; multifarias quoque patitur mutationes placenta, si post partum remaneat in utero. Aliquando placentam in maximam molem augeri vidimus, postquam diutius quàm par erat in utero retinebatur. Aliquando enixo foetu ita comprimatur ab utero sese ipsum denuo contrahente, ut perperam ab aliquibus, ut ante notatum, habita sit Mola dura. Non rarò cum putredine & foetore partitis vicibus è corpore expellitur. Nonnunquam quoque in Hydatides limpidas degenerat: ut videtis Figur. 34 & 35. Ejusmodi mutationes placentæ in Hydatides multoties vidi, & quid esset rei tam diu anceps hæsi, donec mihi videre contigit placentam ex parte sanam, ex parte in Hydatides degeneratam. Hæ Hydatides nil aliud esse mihi videntur quàm minutissimæ glandulæ placentæ in Hydatides degeneres; qui affectus in hepate, renibus & aliis glandulosis partibus

Figur. 34. Explicatio.

- A. *Placenta uterina maxima ex parte in Hydatides degenerata.*
 BBB. *Portio placentæ in substantiam carni analogam mutata.*
 bbbb. *Hydatides.*
 C. *Vascula sanguinea per placentam dispersa.*

Figur. 35.

Placentam totaliter ferè in Hydatides degeneratam, & racemum uvarum referentem, repræsentat.







Fig. 35.



Pars Superior.



Pars Inferior.

tibus satis est familiaris. Vasorum extensiones esse quis sibi posset imaginari? tum enim maximæ reperirentur Hydatides circa placentæ medium, jam verò sine ullo ordine positæ sunt & majores & minores; præterea observavi vasa illa annihilari, ut vix ramulus restet. Quid ulterius de glandulis placentæ sentiam contra nonnullorum Neotericorum opinionem, post-hac revelare decrevi.

OBSERVATIO XXXIV.

Tumor Lumbaris in fœtu, cum Spina Bifida.

NON est mihi animus refutare, quod alii de Spina Bifida sentiunt Authores, ast verò quid ego circa hoc malum, quod decies mihi jam videre contigit, observarim, eloqui. In lumbis fœtus, dum in utero hospitatur, non rarò oritur tumor, partim mollis, præsertim in sui medio, & sæpius limpidus, quasi Hydatis esset; aliquando opacus reperitur. Magnitudo non semper est eadem, nucem juglandem nunc æquans, nunc rapam mediocrem. Si ritè hunc examinaverimus tumorem, luce meridianâ clarius constabit, Hydropem esse particulæ spinalis medullæ, eundemque ferè esse affectum, qui in capite fœtus Hydrocephalus audit. Quemadmodum enim in capite fœtus, imò infantis, (antequam futurarum beneficio capitis ossa uniantur) membranæ cerebri, ut & cutis capitis ob aquæ copiam non rarò valdè expanduntur, mollemque tumorem excitant; ita etiam sæpe in dorso, aut lumbis, rariùs in nucha (quod semel vidimus & in musæo nostro adhuc conspicitur,) & rarissimè in inferiore & exteriori parte ossis sacri, ut referre posthac animus fert, simile quid occurrit. In Hydrocephalis recenter natorum, cerebrum magna ex parte in aquam resolutum esse, rarum non est; sic etiam in dicto tumore, spinalem medullam deficientem in aquosam substantiam degenerasse existimo, & quod mirari subit, infra eum tumorem, spinalem medullam sæpè benè constitutam invenio: Unde nonnulli aliqualem motum in artubus inferioribus retinent. Alios quoque offendi, quorum artus inferiores Paralyfi erant correpti, ob defectum spinalis medullæ; quod etiam observatum video à Viro Eximio Justo Schradero, Med. Doctore, &

Practico felicissimo, in suis curiosis Observationibus Anatomico-Medicis fol. 204. Nunquam in hoc affectu vertebrae ita esse bifurcatas notavi, (ut nonnulli voluere) quasi totaliter in duas partes essent divisae, ut laniones facere assolent, quum animalia mactata in duas partes securi findunt. Dehiscunt tantum vertebrae à parte posteriore circa processus spinosos, potiori parte, puta corpore vertebrae, manente, ut Figur. 37. demonstrat, integra. Quod ad curationem hujus affectus; quantumvis vix ac ne vix quidem profligari possit, nemo enim inter eos quos tractavi hactenus infantes, evasit, nec unquam ab aliis curatum percepi, tamen curatio palliativa instituenda astringentibus & confortantibus remediis in forma fomenti, quo bis singulis diebus adhibito, emplastrum applicandum, quod tumori tenero haud nimis adhæreat, ne aperiat eisdem tenacitate: Observamus enim tumore aperto, aut rupto, mortem accelerari, & ea de causa non immerito monemur ab Antecessore meo piæ memoriæ Nicolao Tulpio, Viro, dum viveret, Nobilissimo & Consultissimo: *Cave sis*
im-

Figur. 36. Explicatio.

- A. *Fœtus octo præter propter mensium decimo quarto die post natiuitatem mortuus.*
 B. *Tumor mollis partim limpidus, propter cutis rarefactionem, (quæ membranæ instar nobis obvenit) partim opacus ob cutis densitatem.*
 CC. *Rugæ cutis cuticulâ ex parte privata, & quasi gangrænâ levi obsessæ, quod sæpissimè contingere observavi.*

Figur. 37. Explicatio.

- A. *Fœtus jamjam nati, & ex eodem affectu brevi post denati vertebrae lumborum tres, à postica tantum parte fissæ, aut dehiscentes, & spinali medullâ orbatæ, relictis ejusdem membranis, præter naturam simul cum cute expansis, jam verò ademptis, ut vertebrarum fissura clariùs videri possit.*
 B. *Fissura aut dehiscencia dictarum vertebrarum cum quâ natus est fœtus.*

Fig. 36.





Fig. 37.





OBSERVATIO XXXV. XXXVI. 35

improvidè unquam aperias, (loquitur de eodem affectu,) quod tam facilè occidit hominem; nullus enim eorum, quibus adfui, & sua sponte aut sola acu erupit aqua in hoc tumore contenta, evasit, sed omnes ferè paucis post diebus exspirarunt. Delineavi hunc affectum magnitudine naturali, ut magis memores essemus cùm nobis occurrit. Vide Figur. 37.

OBSERVATIO XXXV.

Idem Affectus in infima Ossis Sacri parte repertus.

HUIC affectui valde similem nuper observavi casum cum Domino Doctore Egberto Veen, & Andrea Boekelmanno, Viris in arte sua peritissimis; non in lumbis, ubi ut plurimum sese offert, aut verò in infima ossis sacri parte infantis: ubi partim pellucidus, partim opacus, & admodum mollis (propter ichorosam materiam, quâ erat refertus) existebat. Hic præter emplastrum, fotum exsiccantem, & cingulum, nil instituimus, quippe certi, siquidem aperiretur, mortem acceleratum iri. Sæpius miratus sum hunc affectum non esse frequentiore in dicta parte ossis sacri, utpote magis ad producendum hunc affectum disposita; infima enim pars ossis sacri à postica parte semper in naturali statu hiat, & quasi in duas partes est divisa, quæ fissura naturalis pinguedine solummodò est referta, ut infima pars medullæ spinalis esset tecta. Inter omnes dicto affectu correptos, nullum vidi infantem tam diu superstitem, quam hunc; vivit enim in hunc usque diem annum jam ferè agens. Forfan ob affectus declivorem situm.

OBSERVATIO XXXVI.

Tumor similis in lumbis puellæ lethalis.

AB affectu in præcedenti Observatione memorato, Spina nempe bifida, non semper multæ vertebræ circa spinosos processus bifurcantur; unam sufficit vertebram esse læsam, quemadmodum anno 1684. mense Decembri vidi in filiola cujusdam Procuratoris Amstelodamensis, in qua tumor lumbaris

baris minoris pugni magnitudinem æquans, rugisque refertus brevi gangrænam conceperat, & quamvis satis leniter tractaretur fomentis contra gangrænam, tamen decimo quinto post nativitatem mense (rarò autem tam diu vivunt) humor contentus erupit, & secundo aut tertio die vitam finivit afflicta puella: unde malum scalpello Anatomico perscrutandi nobis nata est occasio. Observavimus autem aperturam in unica vertebra, eamque tam exiguam, ut vix ciceris granum admitteret. Stilum levi opera in totam cavitationem spinæ dorsi sursum deorsumque adegì, quo magis certior factus sum, tumorem nil esse præter expansionem membranarum spinalem medullam investientium, ab humoris replentis copia. In principio nullum percepimus motum in artubus inferioribus, valdè macris, tanquam paralyfi correptis; postea verò obesoires facti ad motum redintegradum vires recepère. In cadaverculi dissectione, omnibus qui eidem interfuerant summæ admirationi quoque fuit, sub cute abdominis pinguedinem digiti crassitiem adæquare.

OBSERVATIO XXXVII.

Ab Aneurismate Arteriæ Aortæ Costarum Caries.

Sicut sudores per cutis poros erumpentes in aliquibus adeò sunt acres, ut indusia, imò & subuculæ, putredinem brevi ex iis concipiant; ita etiam humores simile quid præstant, dum costæ veræ à solo Aneurismate Arteriæ Aortæ ascendentis cariem contrahunt. Ante duodeviginti annos cadaver cujusdam Viri dissecui, qui à longo tempore aneurisma gestarat in pectore, tantæ magnitudinis, ut infantis recenter nati caput adæquaret, cum tanta pulsatione, ut manum pectori admotam percuteret. Aperto cadavere Aneurisma invenimus in arteria magna ascendente transversum digitum unum atque alterum à corde, ut annexa Figur. 38. repræsentat. In accretione hujus Aneurismatis non solum costæ veræ, à se invicem abscedere coactæ fuère, verùm etiam eas invenimus ita corruptas, ut magna ex parte deficerent, quodque ex iis restaret, digitis confricando in pulvem comminuere haud difficile esset. Hanc historiam cum ante multos annos Domino van der Schagen,
Me-





Fig. 38.



Cor hum. postica sua parte visum.

Medicinæ Doctore, dum viveret, celeberrimo referrem, dixit mihi à se quoque visam costarum cariem ab Aneurismate pectorali ortam. Magis certè mirandum quàm explicandum foret, quomodo clausum Aneurisma (quod tantum Arteria dilatata audit) costas ita corrumpere valuerit, nisi sequens histola nuper mihi obvenisset.

Figur. 38. Explicatio.

- A. Cor Humanum.
- B. Arteria pulmonalis.
- C. Arteria Aortæ descendens portio.
- D. Arteria Aortæ ascendens portio.
- E. Aneurisma dictæ arteriæ.
- F. Ventriculus sinister.
- G. Ventriculi dextri portio.
- HH. Vasa per aneurisma dispersa.
- II. Vasa coronaria.

OBSERVATIO XXXVIII.

Monstruosum Aneurisma.

Authores, qui statuunt Aneurisma Arteriam esse dilatatam, aut præter naturæ leges extensam, ob alterius tunicæ puncturam, aut corrosionem ab acriore humore, cum pulsatione evidenti, hujusce affectus naturam non satis perspicuè depingunt. Isthæc enim aneurismatis descriptio aut definitio solummodo vera est de multis & exiguis aneurismatibus; ast plura sunt addenda, ne quis amplius decipiatur in ejus curatione. Non in omni aneurismate præcisè sentitur pulsatio, quantumvis Authores eam tanquam pathognomonicum habeant signum. Si sanguis in Aneurismate coaguletur, nulla percipitur pulsatio. Hoc olim decepit Chirurgum expertissimum.... mihi dum viveret amicum familiarem, qui circa talum aneurisma, nucis juglandis magnitudine, aperiebat, nesciens tamen tumorem dictum Aneurisma esse, quia omnis pulsatio deerat. Aperto tumore, & sanguine coagulato expresso, tanta suborta est hæmorrhagia, ut vix esset sistendo. In quibusdam Aneu-

rismatibus ingentissimis nullam quoque pulsationem percipi posse expertus sum. Nuper visitavi prope vicum vulgò dictum *de Nes*, pone macellum, cum Chirurgo perito *Willard*, militem, qui in pectore gerebat sua sponte generatum Aneurisma, tam monstruosæ magnitudinis, ut pulvinar mediocre, quo in sedili utimur (demptis quatuor angulis, rotundum enim erat dictum Aneurisma) adæquaret. Multis diebus antequam mors esset in procinctu, variis in locis aperiebatur sua sponte, sine magno sanguinis dispendio, & quod notandum, pulsatio, quæ vehementissima antea fuerat, in totum aliquot septimanis ante apertionem cessaverat; quod facile credideris, benevole Lector, si audieris, post obitum hoc Aneurisma, (quod ortum duxit ex arteria Aorta tribus circiter digitis transversis supra cor) à me inventum fuisse quasi lamellatim (ut ita loquar) dispositum, aut ex innumerabilibus tunicis, crassis, carnosis, & satis tenacibus, sibi invicem impositis, conflatum, inter quas tunicas sanguis copiosus & coagulatus delitescibat. Harum tunicarum extima, quæ propriè arteria Aorta erat, straminis habebat latitudinem. Notandum ulterius, omnes ferè pectoris costas, ut & os sternum, quasi in nihilum fuisse redacta, & totum ferè pectus ab illis fuisse denudatum, ceu etiam legitur in Observatione præcedenti. Inde anhelitus difficultas, animi deliquia, & febris continua, quibus patiens per plures septimanas correptus fuerat. Hæc memorata videntur aliquid luminis afferre explicandæ cariei costarum, dum scilicet sanguis inter lamellas istas stagnans & exinde acrimoniam contrahens, paulatim transsudat, & ossa lentè corrodit. Id quod haud metuendum judico in simplici arteriæ expansione, à qua communiter Aneurisma oriri credimus: ubi per continuum novi sanguinis affluxum tum stagnatio tum ejusdem acrimonia præpediuntur.

OBSERVATIO XXXIX.

Scirrhus Ventriculi lethalis.

Non esse in Medico semper relevetur ut æger, varia nobis quotidie confirmant exempla, inter quæ scirrhusus ventriculi tumor haud infimum obtinet locum. Vir quidam in
flore

flore ætatis diu de ventriculi læsione & dolore conquestus, demum tale mali sui sensit incrementum, ut præ dolore assiduo diutius aurâ vesci haud potuerit; præterea vomitus continui & animi deliquia ipsum non desererent, donec ultimum obi-ret diem. Cadaver aperiendi copia mihi suppetebant consanguinei, cupiditate rapti quidnam illum tam diu vexasset. Hostis infestissimus in cadaveris apertione non diu sese absconde-re potuit, sed statim in conspectum venit: fundus enim ven-triculi ingenti erat obsessus tumore scirrroso pugni ferè magni-tudine, materiâ tenaci & atrâ referto, qualem materiam quo-que paucis horis ante mortem vomitionibus rejecerat.

OBSERVATIO XL.

Cephalæa à Setaceo applicito cessans, eodemque remoto recur-rens, idque aliquoties.

Filia cujusdam Mercatoris Amstelodamensis octodecim cir-citer annos nata, temperamenti sanguinei, diu laborave-rat capitis dolore, assiduo & intolerabili. Varia à me & Ma-gistro Petro Adriani filio ad arcendum malum istud incassum adhibita sunt remedia; ut sunt, purgantia cephalica, alterantia, venæsectiones tam in pede quam aliis partibus, vesicatoria, sternutatoria, cucurbitulæ &c. Tandem quoque à nobis pro-positam admisit crucialem incisionem in bregmate, quam no-tabilis sequebatur hæmorrhagia, sine ulla tamen euphoria. Consultationes diversas instituimus cum Celeberrimo Practico Matthæo Slado. Tandem nullis remediis proficientibus ani-mus nobis erat cranium terebrâ perforare; antequam verò hæc extrema institueretur operatio, Setaceum in nucha pro-posui, cui remedio dicti Viri Celeberrimi calculum apposuê-re. Remedio hoc celebrato, statim evanescere dolores, & quod notatu dignum est, post aliquod tempus ægra hujus remedii pertæsa, extraxit setaceum; quo factò illicò recrudit malum, ita ut coacta fuerit ad novi setacei usum confugere, quo insti-tuto extemplò rursus cessarunt dolores ægram vexantes: tum igitur prudentior facta gestavit hoc setaceum renovatum, do-nec sua sponte natura illud expelleret. Quid fit? tertia vice setaceo abdicato, recidivam patiebatur; & coacti denuo ean-dem

dem encheiresin iterari iussimus, qua sic repetita iterum liberata fuit ab hoc malo, & posthac pancreaticè vivere coepit, quemadmodum in hunc usque diem incolumis degit.

O B S E R V A T I O X L I .

Ex aperto Bubone copiosus Lymphæ effluxus peculiari arte inhibitus.

Multos Chirurgiæ tyrones tam otiosos & circa nugas assidue occupatos esse, dolendum est. Inter omnes, quæ discuntur artes, nulla est, quæ Chirurgiam antecellat. Aliorum artificum subjectum est Ferrum, Lignum, Lapides, &c. Chirurgorum verò Corpus Humanum, tam affabrè à Deo ter Opt. Max. fabricatum, ut nemo vel ab ulla adhuc parte illud unquam satis perspectum habuerit; eaque de causa omnes, qui Chirurgiæ operam dare decreverunt, perpetuò sese exercere debent, non in fistulæ, plectri, aliorumve Musicorum instrumentorum lusu, uti inter ipsos nunc consuetum est, sed in rebus Anatomicis: sic in millenis occasionibus non solum afflicti sæpè opem ferrent, verùm etiam summos honores sibi ipsis procurarent. Mirari quoque subit, nonnullos tam fatuos reperiri Chirurgo, qui non verentur profiteri, sufficere Chirurgo rudem corporis humani scientiam, curiosiora Medicis relinquenda. Ex horum rudiori cohorte nuper quidam Bubonem venereum aperuit ante perfectam maturitatem, (qua in re culpandus non erat, sic enim & nos facere solemus) simul autem importunâ dextrâ suâ vas Lymphaticum dissecuit. Mirum dictu, quantum lymphæ singulis diebus è vulnere effluerit: omnia linteamina continuè madefiebant. Tandem consilii expers à me idem exquisivit, nesciens unde tantum liquoris quotidie promanaret. Hîc constabat necessarium esse Chirurgo corpus humanum omni curiositate rimari, nec rudem ejus scientiam ei sufficere; judicavi igitur splenia ex linteis complicatis esse applicanda, eademque arctè fibulâ (Belgicè *een Gespe*) comprimenda, sperans fore, ut vasa lymphatica, per quæ lymphæ ab artubus inferioribus redux continuè sursum fluit, ita comprimerentur, sicque lymphæ motus inhiberetur; quod tam ex voto successit, ut sequenti die æger ab

OBSERVATIO XLII. XLIII. 41

ab hoc malo fuerit liberatus: interim Chirurgus buboni proficere poterat, sine ullo obstaculo aut relaxatione fibulæ, donec nulla amplius novi fluxus superesset formido.

OBSERVATIO XLII.

Ex ulcere penis hæmorrhagia enormis, arte facili quidem at singulari cohibita.

PRægressæ Observationi fert animus & aliam magis raram subjungere. Chirurgus quidam, in affectibus venereis curandis satis benè versatus, me noctu ad ægrum arcessivit, cui ex aperta arteriola in ulcere inter glandem & præputium penis tantum sanguinis illa nocte profluxerat, ut ipse prope modum exsanguis videretur. Imò ausim dicere, me dimidiam cupam linteaminibus cruentis opletam in cubiculo, ubi ille decumbebat, invenisse; non aliter ac si fæmina quædam in procinctu puerperii fuisset. Diversi generis styptica applicuerat Chirurgus ante meum adventum, sine ullo tamen levamine; compressioni vix ullus quoque ibi locus erat, propter membri constitutionem: itaque in summis angustiis erant & Chirurgus & æger, quem tamen momenti temporis spatio ab hoc periculo, Dei auxilio, liberavi; idque remedio simplicissimo: scilicet glandem penis præputio strinxi, & sic præputium arctè digitis compressi, unde ne gutta quidem amplius effluere potuit, sicque miser fuit restitutus.

OBSERVATIO XLIII.

In Puerperæ Cadavere os Uteri hians, & pelvis humeribus repleta.

QUam malè sibi consulant puerperæ in hac regione, quæ purgationis tempora haud benè observant, & nimis citò domo exeunt, sequenti Observatione & annexâ uteri Figurâ 39. satis constabit. Anno 1679. mense Martio in usum Obstetricum cadaver cujusdam mulieris, à tribus cum dimidia septimana puerperæ, publicè dissecui, (præsentibus Spectatissimis Viris Collegii Medici Inspectoribus) cujus Uterus talem mag-

nitudinem & figuram obtinebat, sicuti annexa Figur. 39. demonstrat; imò tantum aberat os uteri ad naturalem coarctationem pervenisse, ut facillimè & sine ulla vi digitos duos immittere potuerim. Dicit forsan aliquis, illud rarum & contra naturæ leges esse: & sufficere hoc in aliquibus locum habere; præterea nemini notum esse, quoties hoc quidem contingat; & hinc sæpissimè illæ lachrymæ, & querelæ de intolerabili hypogastrii dolore & frigiditate, obstructionibus, imò non rarò quoque de menstruorum stillicidio perpetuo. In hac anatome hujusce cadaveris quoque observavi pelvim ab humorum colluvie refertam, imò pintas ferè duas continere, non sine magno foetore. An isti humores ex utero per tubas, aut oviductus ad pelvim propulsi fuerint; quod facile crediderim, quia pluries in pelvi humores reperi illis similes, quos in utero inveniebam: an verò aliunde venerint, aliorum judicio relinquo; saltem ego sum in ea opinione, in difficillimo partu, caput aut clunes infantis vaginam uteri non rarò ita occludere posse, ut ne gutta quidem amplius utero exire valeat: atque in tali casu, non video quid possit esse obstaculo, quo minus humores in utero contenti, conatibus aut partus doloribus vehementissimis per tubas Fallopianas ad pelvis cavitatem deriventur, eò magis quòd nullæ in dictis tubis reperiantur valvulæ: & hinc febres atroces, tormina circa hypogastrium, lipothymia, & similia mala; imò mors ipsa, superveniunt.

Figur. 39. Expositio.

- A. *Uterus à tribus cum dimidiâ septimanâ puerperæ.*
 B. *Os Uteri valde adhuc patulum.*

OBSERVATIO XLIV.

Succini globulus diu in naribus hærens topko obductus.

Flliola quinque annorum globulum ex succino (Belgiæ *een Barnsteene Coraal*) ingentis magnitudinis, uti apparet Figur. 40. ludendo in nares profundè protrusit; unde varia incommoda, ingentemque dolorem perpessa est. Nullus hario-

Fig. 39.





Fig. 41.



hariolari potuit, quænam horum malorum esset causa: Decimo quarto ætatis anno deimprovisò per sternutationem è naribus rejecit succinum attractum; de quo notandum, quod globulus ille nil minus videbatur, quàm succinum, ita nempe circumductus cortice quodam lapideo; quo cum vi quadam ex parte abrafo, inventum in globuli medio foramen. Quomodo lapidea hæc substantia globulo accreverit difficile explicatu. Ejusmodi concrementi lapidei corticalis in vesica facti varia equidem extant exempla, qualia legimus in Beverovicio, & aliis Authoribus: ast verò in naribus idem fuisse observatum planè non memini, præterquam quòd nuper mihi supra memoratus Chirurgus Petrus Adriani filius ostenderit officulum cerasi quod diu etiam in summitate narium hæferat, ubi quoque cortice lapideo obductum, tandem excretum fuit.

Figur. 40. Declaratio.

- A. Globulus ex succino, partim cortice lapideo circumductus, partim nudus.
 B. Fragmenta corticis lapidea globulo abrafa.

OBSERVATIO XLV.

In Hydropicæ Cadavere Observata varia, inter quæ hepatis glandulæ admodum tumefactæ.

HEpar humanum magna ex parte è glandulosis corporibus constare, jam à longo tempore deprehendimus. Anno 1686. Vetulæ, ex hydrope Ascite mortuæ, cadaver in usum discipulorum aperui. Primò, cuspide cultelli exitum paravi tenuiori sero, in abdomine contento. Post grandiori facta incisione, visui sese obtulit humor flavus, lentus, & limosus, satis indicans in hydrope ascite non tanti esse momenti Paracentesin; nec adeò temerè instituendam, prout nonnulli voluère Authores: pauci enim evadunt, nisi ichor intra musculos & pæritonæum (alii dicunt inter duplicaturam peritonæi) hæreat. Tubis Fallopiæ compressis materia quædam, spermatis humano analoga, effluebat. Ovaria

com.

comparebant admodum exilia; quemadmodum in vetulis ut plurimum visuntur. Intestina non solum undiquaque peritonæo, verum etiam sibi invicem connata. Hepatis superficies inæqualis, propter glandulosa corpora tumefacta. Ejusmodi corpora glandulosa, aut glandulas hepatis magnitudine auctas nuper quoque publicè demonstravi, & aliquoties conspexi, nunquam tamen adeò copiosa, quam in supradiçtæ vetulæ hepate; totum enim hepar è meris glandulis magnis constare videbatur, unde perquam inæqualis existebat ejus superficies: ut videre est Figur. 41.

Figur. 41.

Particulam Hepatis superficie admodum inæqualis, propter glandulas magnitudine auctas, representat.

OBSERVATIO XLVI.

Hydrops Ascites ex Hydatidibus.

INcurabilibus affectibus nobis sæpius occurrentibus, haud sine ratione dicitur, non esse in Medico semper relevetur ut æger. Quis Medicorum curare potest hydropem Ascitem limosum, membranis inclusum? cujus varia quidem vidimus & apud Authores legimus exempla: Nunquam tamen mirabiliorem hujus rei historiam me intellexisse memini, quàm eam, quæ mihi ante aliquot annos in platea Sancti Johannis occurrit: ubi præfente Magistro Petro Adriani filio aperui cujusdam Virginis ætate provectioris cadaver, cujus admodum distenti abdominis totam cavitatem repletam conspeximus innumerabilibus vesicis, aut facculis, humore tenaciori & glutinoso refertis. Nonnullæ earum vesicarum erant magnitudine pugni minoris, aliæ magnitudinem nucis juglandis non superabant, non paucæ æquabant nucem avellanam. Vide Figur. 42. Utrum harum vesicarum subjectum glandulæ fuerint mesenterii in vesicas, aut, si mavis dicere, hydatides, degeneratæ (quod crediderim) aut vasa Lymphatica præter naturam expansa, non ausim certò affirmare; temporis

Fig. 43.




Fig. 42.




Fig. 44. Pa



OBSERVATIO XLVII. XLVIII. 45

ris enim penuria, & morosorum consanguineorum præsentia ulteriorem investigationem denegavit.

Figur. 42. *Hydatides supradictas demonstrat.*

OBSERVATIO XLVII.

Cranii ex Contusione fissura ipsas suturas pervadens.

Quam malè usum Partium comprehendant ii, qui Sutures eum solummodò in finem homini esse datas asserunt, ne, uno cranii osse fisso, alterum quoque findatur, norunt ii, qui contrarium istius nobiscum observarunt. Anno 1670. moles illa lignea, quâ palos humo infigunt (Belgicè *een Heyblok*) in cujusdam viri bregma devolvebatur, unde in terram prolapsus, omnique sensu interno privatus, sanguineque auribus affluente, brevi post animam Deo reddidit. Oblatum mihi fuit, mali causam investigandi ergò, cadaver. Cranio denudato, os bregmatis (si benè memini) sinistrum à parte superiore ad inferiorem ex toto fissum reperi: Quæ fissura progressum fecit per futuram squamosam, totum os petrosum, & os occipitis, ad magnum ejusdem ossis foramen; futuris ad fissuræ cursum sufflaminandum nil valentibus.

OBSERVATIO XLVIII.

Fungus Palati cum Carie, scalpello & cauteriis feliciter extirpatus.

Multi magni morbi sæpius à nobis curarentur, si magis fiderent Medico, minusque meticulosi forent afflicti. Nobilissimus Dominus Colijn, Jurisconsultus, dum viveret, apud Amstelodamenses meritissimus, (cujus nomen, propter raram & inauditam animositatem in admittendis & sufferendis remediis, licèt durissimis, præter morem appono) ante aliquot annos me convenit, dicens sese aliquid incommodi in postica & laterali parte palati sentire; quo viso & benè explorato, hisce usus sum verbis: Noli, spectatissime Domine, hoc malum floccifacere, & multo minus unicuique revela-

G

re;

re; verebar enim ne in manus incideret eorum, qui omnis generis remedia nil profutura illi præscriberent, imò periculum, quod erat præ foribus, interim augerent. Hisce auditis rogavit me Dn. patiens, qualis esset affectus, quomodo & quibus remediis morbo occurrere vellem? Respondi, malum consistere in carie posticæ & lateralis partis ossis palati cum carnea excrescentia fungosa, eandemque excrescentiam esse extirpandam, & ossis cariem inurendam. Patiens generosissimus hanc curam diu non distulit, ast verò quamprimum vocari iussit Allardum Cyprianum, Petrumque Adriani filium, Chirurgos dexterrimos, qui eandem à nobis propositam commendarunt curationem. Itaque confectis cauteriis loco affecto appropriatis, universalibus præmissis, ut & dentibus aliquot molaribus, qui nobis in ipsa operatione obstitissent, evulsis, aggrediebamur curam ut sequitur. Omnibus prospectis, & ritè præparatis, monuimus patientem, ut digitum elevaret simul ac inustio suffocationis periculum afferret & diutius non esset ferendo, ipseque respirare vellet; nam experientiâ eramus edocti tantum fumum oriturum, quantus in renovandis soleis equinis excitatur. Hisce monitis frustum ligneum digiti crassitie inter utramque maxillam immisimus, ne in Operatione os clauderet; posthac scalpello acuto, recurvato, & secundùm palatum accommodato abstulit alter Chirurgorum totum tumorem, alter interim buccarum partem internam spatulâ admodum latâ muniebat, ne à cauteriis nimis læderentur, in quem finem etiam spleniis è linteo carpto confectis & aquâ frigidâ madefactis buccis prospiciebat. Ablato tumore, cauteria (Figur. 43. & 44. depicta) candentia successive fortiter unum post alterum adacta sunt, donec nobis videretur sufficere: cùm interim patiens digitum attolleret, eduximus dicta cauteria candentia. Hisce peractis composuimus ægrum in lectum, non sine facetis verbis, quibus subridens nos alloquebatur. Interim præscripsimus hordeatum, ad ardorem compescendum, ut & oris collutionem, dolorem leniendi causâ. Sequenti die invenimus afflictum nemini magis esse dissimilem, quàm sibi ipsi, ita intumuerat ejus caput, propter inflammationem immanem, unde etiam à febre haud manserat immunis. Hæc omnia remediis inflammationi resistentibus oppugnantes, brevi inde cessaverunt & inflam-

flammatio & febris. Interim ad escharæ casum promovendum, decoctum malvæ, ficuum &c. usurpavimus, addendo sufficientem quantitatem mellis rosacei, quod pro re natâ mutavimus. Post escharæ separationem omnibus rubicundis apparentibus, videbamus in portu navigare. Paulo verò post exigua particula carnis fungosæ in conspectum sese dedit, quod nobis ansam præbuit cogitandi malum non esse in totum eradicatum. Itaque novam inustionem commendavimus, quam æger nequitiam renuebat, dicens: Facite quod artis est. Proximo die instituimus novas inustiones cum simili ferè eventu; caput enim rursus vehementer intumuit, comite febriculâ, quæ iisdem profligavimus remediis, brevique post in totum convaleuit patiens, qui postea per plures annos incolumis vixit.

Figur. 43. & 44.

Cauteria in dicta Operatione adhibita demonstrant.

OBSERVATIO XLIX.

Similis casus, dissimilis verò eventus, ob Medicastrosum inscitiam.

EOdem ferè tempore Mercator quidam contra fungosum palati sui farcoma, junctamque ei cariem, remedia quæsivit apud Pharmacopœos, & audaces Medicaistros, quorum cæcâ & stolidâ temeritate malum eò deducebatur, ut prope modum esset inexpugnabile. Tandem sciolorum istorum nugatoriis remediolis fatigatus me aliosque accersivit; Audito verò, sine inustione nil boni esse sperandum, recusavit nobis obedire, eò magis quod non deessent, qui eum spe recuperandæ valetudinis inescabant, solis scilicet medicamentis, loco affecto applicandis, quæ tanquam secreta, nec ulli revelanda servabant. Post aliquod tempus, me de novo consulere consanguinei, dicentes, ægrum inustionem admitturum. Quid fit? Chirurgus, qui curationi præerat, inurere partem affectam volens, eum in finem cauteriolum, quo dentes cariosos inurere solemus, attulerat. Rogatus quid facere vellet, respondit, palati cariem inurere. Quum verò audivisset quilibet cauteriis indigeret ad opus illud perficiendum, animus

illi ferè defecisset; & sic patiens defectu requisitorum remedium miserrimè per aliquot hebdomadas adhuc vixit, donec vitam cum morte commutaret.

OBSERVATIO L.

Hepatis durities & suppuratio feliciter finit.

QUANTUM sufferre possit pars adeò nobilis prout est Hepar, Medicorum monumenta testantur. Hic quoque recenset exemplum non inauditum, attamen rarum, quod in eadem parte accidit. Juvenis quidam Amstelodamensis, qui Chirurgiæ operam dabat, ante tres fere annos nobis querebatur de epigastrii tensione, cum dolore gravativo, ad Hypochondrium sinistrum sese extendente; tandem tumor durus ibidem ortus, cum aliqua difficultate respirandi & febriculâ. Hisce exploratis, hepar esse induratum judicavi; diversisque emplastris emollientibus applicitis, tandem cataplasmatibus maturantis adminiculo tumor mollior redditus ad suppurationem pervenit, quo, post cauterii potentialis applicationem, phlebotomo aperto, multum puris effluxit, & brevi post, ulcere purgato, sanatus est. In hoc casu non est dubitandum, quin à prægressa inflammatione, gibba hepatis pars fuerit connata peritonæo, unde ulcere aperto, puri denegatus fuit in abdominis cavum decubitus. Ejusmodi exempla reperiuntur quoque in Observationibus curiosis Nobilissimi Viri Domini de Marchettis, Professoris Patavini, pag. mihi 120.

OBSERVATIO LI.

Lien, Hepar, Renes Succenturiati &c. pro Glandulis sanguineis non ineptè haberi possunt.

JAM Lien glandula audit, nec immeritò: si enim glandulas Lienis sæpius adsitas, imò & Thyroideas ritè examinaverimus, eas à liene parum differre, observabimus. Multum quidem à pancreate & glandulis salivalibus discrepat Lien, attamen jure merito pro glandula habetur: nimirum pro glandula sanguinea, id est sanguini inserviente, vel cum sanguine

guine respectu coloris conveniente. Ejus generis sanguineæ glandulæ quoque sunt, Renes Succenturiati, Hepar, & nonnullæ spleni communiter adhærentes. In iis nullum vas excretorium peculiare, præter venam, hætenus repertum: Nec magis opus esse videtur, quam in ejusmodi glandulis conglobatis, quæ Lymphæ ad cor reducendæ inserviunt: in quibus præter vasa Lymphatica nullum peculiare vas excretorium unquam conspicies. Dubitandum tamen non est, quin exaltationi & ulteriori perfectioni lymphæ inserviant, aut succum peculiarem ex arterioso sanguine intra se conficiant, quem lymphæ impertiunt. Idem sentiendum de glandulis sanguineis, quæ sanguinis exaltationi & perfectioni inserviunt: Hinc deprehendimus quoque, liene obstructo, tumefacto, indurato, aut aliàs malè constituto, sanguinem fieri crassiores & melancholicum. Lienem ergò pro glandula habendum, cum Celeberrimo Malpighio, Anatomico oculatissimo, censeo. Eò magis, quod aliquoties glandulas prope lienem inveni, lieni undiquaque similes. Memini, me ante aliquot annos in Nosocomio Amstelodamensi (in quo mihi Nobilissimi Consultissimique Domini Consules, ut & Præsides dicti Nosocomii Humanissimi cadavera disseccandi copiam concedunt) ejusmodi glandulas lienares aut lieni adsitas demonstrasse, in cadavere cujusdam mulieris quadraginta præter propter annos natæ, & ex diarrhœa biliosa, cui junctus fuerat icterus, mortuæ. Præsentes habebam D. B. à Dortmund, Joh. Dankers, Rogier Rhoonhuysen, Adriaan Coenerding, Viros de re Medica & Chirurgica benè meritos. In hoc cadavere me demonstrasse, inquam, præter scirrhum nucis juglandis magnitudine, in ipso liene, duas glandulas lieni adsitas, imò lieni (solâ magnitudine exceptâ) similes. Convenieban enim cum lienis colore extrinseco livido, & nigricante aut rufò intrinseco. Substantia plane quoque eadem cum liene. Inflatas vasis spleneticis extendebantur quoque vascula harum glandularum, à spleneticis vasis oriunda. Ita ut exiguos pseudolienes hæc glandulas nominare, haud absolum putemus, præsertim cum ita augeantur (liene indurato) ut nucem juglandem magnitudine adæquent, quemadmodum olim vidi.

OBSERVATIO LII.

Tumores à postico Capite infantium pendentes, ipso capite majores.

IN foetu recenter nato aliquoties tumores à capite propendentes conspexi, qui caput magnitudine superabant, ut videtis Figur. 45. Memini quoque me semel eundem vidisse tantæ molis, ut totum superaret foetum; unde partus quidem difficillimus erat, attamen, quum totus ille tumor solùm humoralis esset, non poterat partum omninò præpedire. Hi tumores, quantumvis impropriè hydrops capitis audirent, (quamdiu caput benè est constitutum) attamen tantam sæpius cum dicto affectu habent affinitatem, ut citò etiam moriantur foetus, si aperiantur dicti tumores; quemadmodum videmus in hydrocephalo. Communicant enim utplurimum humores in iis tumoribus contenti, cum latice aquoso qui in cerebri ventriculis stabulatur. Ejusmodi tumores aliquando animadverti non planè humorales, ast partim etiam carnosos, imò & ex parte cartilagineos.

Figur. 45.

Caput foetus recens nati cum dependente tumore aquoso, demonstrat.

OBSERVATIO LIII.

Vulnus Thoracis penetrans, cum egressâ Pulmonis portiunculâ, sanatum.

NON solùm hepar, verùm etiam pulmo magnos quandoque perferre potest affectus, sine vitæ dispendio, modò ex arte tractentur. Famulus cujusdam Nautæ fauciatus parte inferiore & anteriore thoracis, ad ejus usque cavum, Chirur- gum vocari jussit, qui, visâ particulâ pulmonis è vulnere expulsâ (quam pro omenti parte habuit) illicò vinculo fortiter totum, quod erat expulsum, ligavit, & me statim in consilium

voca-

Fig. 45.





vocavit : Quum verò à me audivisset, vulnus esse inflictum non in abdominis sed pectoris cavitatem, & eam quæ eminebat, & ab illo ligata erat, particulam, pulmonis esse portionem, obstupuit. Rebus ita constitutis suasi vulnus ita esse relinquendum, & digestivo emplastroque defensivo singulis diebus semel ei esse prospiciendum, donec particula pulmonis ligata, esset emortua, & sua sponte decideret, ea spe suffultus, ut, qui sub vinculo erat pulmo in ipso vulnere consolidaretur ; quod tam benè successit, ut brevi post convaluerit æger.

OBSERVATIO LIV.

Vulnus Orbitæ Oculi lethale.

Vir quidam ante aliquot annos baculi extremo, non admodum acuto, vulnerabatur in oculi sinistri orbitâ, quæ solutio, quantumvis illis qui curationi præerant, videretur exigui momenti ; tamen brevi post acceptum vulnus, obiit patiens. Nobilissimi Prætor & Scabini hujus urbis mihi & Chirurgis Ordinariis injunxêre cadaveris apertionem, mortis subitanæ causam investigandi ergò. Extrinsecè exiguam ecchymosin in oculi parte superiore invenimus, ast verò superiore cranii parte ferrâ ademptâ, anguem in herba latere experti sumus ; vulnus enim cerebrum ipsum sat profundè penetraverat : quod facillimè evenire potest eo loci, propter superioris partis orbitæ tenuitatem ; in multis enim chartam scriptoriam os ibi haud superat, & præterea tam molle existit, ut in multis solo digito perforaverim. Itaque vulnera orbitis oculorum inflictâ non floccifacienda, præsertim si instrumenta, per quæ inferuntur, non sint obtusa, aut vulnerati fiant somnolenti, nauseabundi, febricitantes, vertiginosi, convulsi.

OBSERVATIO LV.

Acicula deglutita per inguinis abscessum exitum quærens.

Non sine ratione dicitur in proverbio, Naturam esse sui conservatricem : Hoc luce meridiana clarius mihi constitit in filiola cujusdam Domini, quæ insciis parentibus aciculam

lam deglutiverat. Tumore duro & inflammatorio in inguine orto, non sine febre & dolore me accersi jusserunt parentes. Quum intellexissem tumorem non illicò, sed paulatim incrementum sumsisse, nullosque adesse vomitus, nec alvi indurationem, judicavi hunc tumorem bubonem esse, seu glandulæ inguinalis tumorem & inflammationem; & cùm ita doleret, nil magis ad rem fore existimavi, quàm cataplasmatibus emollientibus applicationem. Hoc remedio à Chirurgo adhibito tumor nobis visus fuit ad maturationem vergere; itaque maturantibus additis ad perfectam suppurationem eundem perduximus, & phlebotomi cuspide aperuimus tumorem. Quid fit? statim simul cum pure copioso acicula ærugine obducta prodit, non sine excrementorum alvinorum commixtione. Hisce visis spes nobis quidem videbatur in angusto, non verò naturæ, quæ non rarò ad sui conservationem mira molitur. Abscessum itaque mundificantibus & incarnantibus tractavimus, donec in totum esset consolidatus. In hac curatione non est dubitandum, quin in principio, suborta inflammatione, intestinum, ab aciculæ mucrone læsum, arctè connatum fuerit peritonæo; (sicut in aliis inflammationibus quotidie fieri videmus) unde nobis occasio orta est excrementorum alvinorum liberaliter effluentium; præterea obstaculo fuit, quo minus dicta excrementa in abdominis cavitatem descendere potuerint.

OBSERVATIO LVI.

Asthma serosum cum notabili renis calculo.

INter omnia, quæ hæcenus disseccui, humana cadavera, non memini ullum majores in rene calculos mihi exhibuisse, quam ii erant, quos sequentibus Figur.... depictos vides. Anno 1684. in Nosocomio (præsentibus Spectatissimis Viris, Dominis B. Dortmuntio & Johanne Verwout, Collegii Medici Inspectoribus dignissimis: R. Rhoonhusio, & A. Connerdingio Chirurgis Nosocomii meritissimis) cadaver mulieris quadraginta circiter annorum, asthmate mortuæ, disseccui, in cujus cellulis membranosis, ut & bronchiis pulmonalibus tantum aquæ spumosæ sese offerebat, ut ex particula abscissa guttatim efflueret. In infimo ventre stomachum & intestina,
loco



Fig. 47.




Fig. 48.





Fig. 46.



loco suo naturali relicto, Hypogastrium occupasse, observavi. Uterum non in pelvis medio, aut in latere sinistro situm reperi; Cætera sana. Pelvis renis, ut & ren sinister prodigioso calculo erat obsessus, magnitudinem & formam ingentis radicis Zinziberis apprimè referente, sicut Figur. 48. monstrat.

Figur. 46. Expositio.

- A. Ren sinister per medium dissectus.
- B. Ureter justo capacior.
- C. Vasa sanguinea partim per ureterem, partim per membranam renis adiposam disseminata.
- DDD. Calculi partes eminentes.

Figur. 47. & 48. Explicatio.

- A. Idem calculus à rene separatus in pelvi hærens.
- B. Ureter magis expansus.
- C. Pelvis.
- D. Idem calculus totaliter denudatus, ut ejus forma & magnitudo prodigiosa videri possint.

OBSERVATIO LVII.

In Puello trienni calculi insolitæ magnitudinis.

Puellus tres annos præter propter natus, plus quàm quinquaginta calculos excreverat, inter quos multi fuere magnitudine pisi minoris, ex relatione Domini Doctoris Bronckhorstii Medici Amstelodamensis, dum viveret, celeberrimi. Quantis cruciatibus miser ille fuerit vexatus, facilis est conjecturæ; neque cessarunt. Aperto dein cadavere, inveni renis sinistri pelvim admodùm dilatatam, calculoque ingentis magnitudinis (pro ratione scilicet ætatis; quamobrem hanc recensere historiam mihi animus fuit) obsessam. Vide Figur. 49.

Figur. 49. Explicatio.

A. *Ren sinister.*B. *Ejusdem pelvis calculo magno referta.*C. *Ureter.*DD. *Calculi duo in dicta pelvi reperti.*

OBSERVATIO LVIII.

Molarum Origo & Natura.

MOla dicitur caro deformis, ossibus destituta, & ex imperfecta aut mala conceptione generata. Quod si verum sit, mirari subit, ejusmodi molas à virginibus (aut saltem, de quibus nulla alia suspicio erat) fuisse exclusas, sicut ostendit Figur. 50. Vetulas Viris non utentes aliquando in lucem exposuisse tales molas, observavi. (Vid. Figur. 51.) Sæpissimè in abortu, foetu enixo, remanet per aliquot septimanas, imò menses, placentula, quæ à compressione uteri non solum uteri figuram adipiscitur, verùm etiam sæpius ita induratur, ut carnis substantiam duritie longè superet, & pro mola habeatur. Jam à viginti annis Nobilissimi & Amplissimi Domini Consules & Scabini ad ulteriora infortunia (de quibus multæ audiebantur querelæ) vitanda circa obstetricationem, injunxerunt Collegio Medico & mihi, ut omnes, quotquot essent Amstelodami Obstetrices examinarem; quarum numerus haud erat exiguus: hæc fere omnes interrogavi, quid circa molas observassent, nulla verò earum nobis vel aliquid potuit revelare, unanimiter dicentes, sese quidem corpuscula carnosæ & dura offendisse, quæ è mulierum corpore erant exclusæ, ast verò nunquam viventia, sicut nonnulli credidère. Aliquando utero expelluntur Sarcomata, quæ pro molis habentur; sarcomata, inquam; quia præter carnem nil in iis deprehendi: ejusmodi excrescentias uterinas per pedunculum utero adhærentes observavi in ipso utero, dum mulieres in partus laboribus essent, & excretarum iconem exhibet Figur. 52. Illud verò neutiquam mirandum, quandoquidem in ipso etiam stomacho, & vesica urinaria ejusmodi corpuscula excrescere observavi.

Itaque

Fig. 52.




Fig. 51.




Fig. 50.






Fig. 49.





Itaque verosimile admodum est, Molas ita decantatas nil aliud esse, quàm ejusmodi carnosas Uteri excrescentias, aut placentulas retentas, & ab utero, uti supra innui, compressas; nequam verò è mala conceptione ortas.

Figur. 50. 51. 52. Explicatio.

- A. *Carnea excrescentia vetulae Utero exclusa.*
 B. *Carnea uteri excrescentia, quam mulier à longo tempore gestarat, tandemque excreverat.*
 C. *Carnea moles, quam ipsemet sensi uteri interiori membranæ adhærere, idque in muliere in partu versante.*
 c. *Pedunculus è quo dependebat.*

OBSERVATIO LIX.

Vulvæ Rectique Intestini Gangræna & Perforatio feliciter curatæ.

IN gravioribus affectibus haud decet Medicum facilè desperare; sæpius enim fiunt, quæ fieri posse pernegares. Reperiuntur Ardeliones, qui non verentur mox exclamare: *Non curabitur. Non eluctabitur. Moriendum est ægro, &c.* At tamen si nomini & famæ suæ cuperent consulere, cautius certè prognosticari deberent. Uxor cujusdam Pistoris Amstelodamensis, ob partum difficilem, incidit ante aliquot annos in vulvæ intestinique recti gangrænam adeò enormem, ut multi existimarent afflictiã brevi è vivis excessuram. Post gangrænæ separationem foramen vulvæ à nobis repertum fuit tantum esse, ut facillimè nux juglans viridi cortice obducta per illud ad intestini recti cavitatem inferi potuisset: Unde fæcibus alvinis dabatur locus, ut ex intestino recto ad vulvam nullo negotio transfirent; id quod in tali casu admodum familiare, vulva enim tam arctè cohæret intestino recto, ut quasi continuum sint corpus: Itaque si alterutra pars afficiatur, altera nequit remanere immunis. Chirurgus, qui mecum curationem suscipiebat, excogitabat instrumentum è bractea confectum, in forma pessarii excavati, cujus superficiem exteriorẽ obduxerat sarcotico medicamento: quale juxta Theoriam Chirur-

cam equidem non erat improbandum, sed tamen in praxi præfenti inutile fuit repertum, neque enim illud perferre potuit ægra. Itaque dictis medicamentis, plumaceolis exceptis, aperturæ dictarum partium prospeximus, quibus brevi in totum reconvaluit hæc puerpera. Ubinam jam sunt scioli, qui effutiunt ejusmodi malum esse incurabile, & sine fistula remanente nunquam curam posse absolvi? Sciant non solum hanc puerperam in totum fuisse restitutam, ita ut nulla superesset labes, verùm etiam diversas ex eodem affectu à nobis esse curatas. Hoc verò discrimen in gangrænis earum partium animadverto: scilicet, si partes posteriores, nempe quæ os sacrum respiciunt, tali afficiantur morbo, faciliùs curantur, propter intestini recti carnositatem, vulvæque dispositionem, quæ versus intestinum rectum non gaudet tot rugis transversis, nerveis, & duris, curationi obstaculum inferentibus, sed quod omnia ibidem molliora, curationique magis prona. Præterea in parte anteriore, nempe, quæ meatum urinarium respicit, propter continuum Urinæ stillicidium sanatio præpeditur, unde tunc sæpissimè fistula relinquitur incurabilis.

OBSERVATIO LXI.

Capitis Contusioni solo fomento, absque incisione per imperitum temerè commendatâ, feliciter prospectum.

QUOD si verum sit Hippocratis effatum, Experientiam nimis mirum esse fallacem, eò magis verum esse dixerim, fallacissimam esse praxin sine experientia. Mulier quædam è curru cecidit in terram gelu induratum, unde frons tam vehementer fuit contusa, ut ingens statim ibidem elevaretur tumor. Chirurgus suburbanus tumore explorato, & ægrotam aliquoties vomuisse intelligens, cranium esse impressum & fissum, nec sine cruciali incisione & ossis elevatione posse curari judicavit. Hisce propositis, adstantes me vocari jusserunt quando ego hanc propositam encheiresin renuebam, nulla quippe cranii fissi signa præstò esse asseverans. Ad hæc respondit audaculus ille incisor, sese digitis impressionem sentire, nullam verò esse impressionem sine fissura. Revera nisi ejusmodi tumores sæpius in capite digitis explorassem, perque

experientiam de eorum vera natura edoctus fuisssem, dixissem & ego ipse cranium esse impressum: Ita enim tumores capitibus post graviolem contusionem sæpissimè palpantibus sese offerunt. Quando namque locus inter tumorem & partem sanam digito comprimitur, cranium sæpè videtur impressum, sicque junioribus facile imponit. Proinde cauti hi esse debent, ne in similem incidant errorem. Itaque loco crucialis incisionis fomentum ex optimis cephalicis applicitum est, ceu videtis infra scriptum, - cujus beneficio tumor intra duos tresve dies evanescere cœpit, atque ægra nostra brevi convaluit, sine ulteriori magno remedio externo. Non solùm autem in hoc casu, verùm etiam in cranii vera fractura, in qua symptomata non augentur, haud statim ad incisionem & terebrationem esse confugiendum, existimo. Præstat post venæsectionem ejusmodi adhibere fomenta Cephalica, quæ non parcè, nec linteis exiguis, sed latioribus pannis laneis, calidè sunt applicanda, totumque caput iisdem obvolvendum. Sic non rarò felicissimè opem tuli iis, quorum capitibus jam scalpellum incisorium imminebat.

Fomentum Cephalicum superscriptum.

✕ *Herb. Betonica,*

Majoranæ an. m. ij.

Salviæ,

Rutæ an. m. j. ss.

Flor. Stæchados,

Lavendulæ an. m. s.

Rosarum rub. m. j.

Coq. s. a. ex s. q. vini alb. ad lb. ij.

Colatura detur usui.

OBSERVATIO LXI.

Uteri post partum inflammatio, subindè ab Obstetricum temeritate oritur.

INter omnes affectus, quibus obnoxius est Uterus, haud infimæ notæ est Uteri induratio & inflammatio tempore par-

tus; per quam multæ è medio tolluntur puerperæ. Sæpius miratus fui in nonnullis parturientibus Uterum tam facilè inflammari, in aliis verò non. Vidi in puerperis post partum, & quidem satis facilem, Uterum inflammatum. Discant ergò Obstetrices uterum neutiquam fortiter extrinsecè comprimere, ut foetus caput versus uteri osculum ducant; discant cautiùs agere in secundinis extrahendis, ne abdomen & per consequens uterum nimis comprimant. Sint prudentiores Obstetrices in obstetricatione, ne continuè absque necessitate manus in utero habeant, à qua fricitione non rarò expertus sum uteri partem inferiorem fuisse inflammatam. Et quid dicendum de illis audaculis & temerariis, quæ non verentur digitos in anum intrudere, ut foetus capiti exitum parent, unde tam facilè inflammantur intestinum rectum, & partes huic adsitæ. In summa absit omnis crudelis Uteri tractatio, ne tale ampliùs occurrat malum abominandum.

OBSERVATIO LXII.

Lien in pelvim prolapsus, ejusque naturalem locum occupans analogum aliquod corpusculum.

INter corporis humani partes, quæ situm naturalem aliquando mutant, non infimum locum obtinet Lien, qui in statu naturali sub costis spuris palpari digitis nequit. Verumenimverò in statu præternaturali ejusdem magnitudine aucta, fit, ut mole ac ponderositate sua aliquando ita descendat, ut non solum sub costis nothis, verum etiam in hypogastrio manu evidenter sentiri possit. Anno 1670. Mulier quædam in Nosocomio nostro, post dolorosum & difficilem partum, in hypogastrio duritiem contraxit, non sine dolore vehementissimo. Nonnulli suspicabantur placentam uterinam intùs retentam, duritiem illam producere. Variis itaque usurpatis remediis eandem nitebantur expellere, quibus tamen nil efficientibus, animam Deo tandem reddidit puerpera. Diffecandi cadaver ansam & copiam mihi faciebat eo tempore Nosocomii Medicus ordinarius, Gerardus de Penijn. Partes interiores omnes satis benè dispositas deprehendi, præter Lienem, qui naturali liene octuplo, & quod excedebat, major, & bilanci impositus qua-

quatuor libras pendens in pelvim descenderat : in cujus naturali loco lieni analogum comparuit corpus, castaneæ majoris magnitudine, colore autem substantiâque lienem exactè referens. Vide Clarissimi Domini Schraderi Observationes rariores Anatomico-Medicas, Decad. III. Obs. 4. ubi eandem recenset historiam.

OBSERVATIO LXIII.

Tumor Ventris oblongus post partum, ex omenti coarctatione.

Quales essent tumores illi duri & oblongi, quos mulieres post partum in abdomine non rarò retinent, tam diu anceps hæsi, donec, data mihi occasione, in dissectione cadaveris cujusdam rem perspicuè detegerem : quando observavi Omentum duos ferè digitos crassum, tres digitos latum, spithamam cum dimidia longum, & in substantiam adipo-carnosam degeneratum, atque insuper scirrhotum. Vide Figur. 53. Ejusmodi tumores in abdomine viventium mulierum, postquam pepererunt, multoties contrectavi, quorum nonnulli transversim positi erant, alii situm obliquum obtinebant. In tali casu crediderim omentum à visceribus circumjacentibus, tempore gestationis, aut quum utero gerunt mulieres, aliquando ita comprimi, ac in se ipsum adigi ac cogi (Belgicè *soo in malkander gaat zitten*) ut nonnunquam inflammetur, incrassetur, & ita concreascit, quemadmodum fieri videmus in aliis membranosis corporis humani partibus, postquam inflammationem, quantumvis levem, conceperunt. Notandum quoque hosce tumores oblongos manibus, dum vivunt mulieres, ita sæpius comprehendi posse, ac si quis farcimen manu prehenderet. Mulieres eos tumores, sine magno, imò aliquando sine ullo dolore, aut non sine aliquali incommodo, per plures annos gestasse, aliquoties notavi.

Figur. 53. Declaratio.


- A. Stomachi pars inferior.
 BB. Omentum integrum scirrhosum factum, & farciminis instar in se ipsum adactum.
 C. Incisio à me facta, ut intrinsecum, quasi lamellatim dispositum, conspici posset.
 D. Uteri fundus, cui connatum erat omentum.
 E. Uterus circa osculum abscissus.
 F. Uteri ligamenta.


OBSERVATIO LXIV.


Vermes passim intra viscera delitescentes.




AN omnia ex ovo generentur, uti Harvæus & ejus Sectatores perhibent, dubitandi ansam mihi dedere Vermes in arteriis equorum viventium, ut & vermes in hepatis parenchymate glanduloso, aut glandulis, ut hodie audit, imò in ductu cystico & poro bilario ovillo, & vesicula fellea sæpissimè inventi & infra depicti. In Renibus humanis semel eos me vidisse memini: quales in canum renibus longè frequentius occurrunt. Vermes quoque in cerebro esse repertos, nemo ibit inficias, qui magni nominis Authores evolverit. Per quas vias isthæc animalcula eorumve ovula in corporis interiora sese insinuaverint, haud in proclivi est determinare. Per poros enim cutis, per partes respirationi inservientes eos ad dictas partes pervenisse probabile non videtur, multoque minus eorundem ova per os introitum habuisse, & ulterius ad dictas partes penetrasse neutiquam verosimile videtur: neque enim in ventriculo, in quo ob chylicationem notabilis fit fermentatio & destructio assumtorum, integra manere potuissent. Vasa quoque chylosa aut lactea nequeunt ovis transeuntibus viam præbere. Adde quod nullus mortalium unquam ejusmodi vermes extra corpus viderit. Itaque ancipitem hæere hîc oportet, donec vera & indubitata lux nobis affulgeat ab ingenio illorum, qui omnia mathematicè & à priori (si Diis placet) demonstrare gestiunt.

Fig. 53.









Sequentes Figuræ vermes supra memoratos demonstrant.

- A. Vermes in ipsa hepatis substantia Aselli majoris reperti.
- B. Vermis per vias urinarias excretus.
- C. Vermis è pisce Bel. Bley desumptus.
- D. Vermes in aneurismate arteriæ magnæ reperti, idque in equo.
- E. Vermes è ductu cystico & poro bilario Ovis desumpti.

OBSERVATIO LXV.

Hepar magnâ ex parte in hydatides degeneratum, & ab imperito temerè confossum.

HEpatis substantiam glandulosam, aut è minimis glandulis esse compositam, variis Observationibus jam ante comprobavi; glandulas in hydatides degeneres multoties quoque demonstravi. Hîc verò historiam, satis mirabilem, recensere animus est de hepate magna ex parte in hydatides degenerato. Chirurgus quidam temerarius, in loco quodam suburbano habitans, paracentesin in thorace instituturus, ob hydropem pectoris (ut sibi imaginabatur) me in consilium vocari jussit; quando tamen propter adversam valetudinem illuc pergere haud potui. Quid fit! Proprio Marte, idque solus, non thoracem, sed in hypochondrio dextro abdomen perforat. E vestigio hydatides multæ successivè erumpunt. Hisce visis obstupescens turundam indidit, & me convenit, ast incassum, brevi enim post obiit misera fœmina: unde nobis rem penitus investigandi occasio relinquebatur. Aperto igitur thorace, nil liquoris præternaturalis invenimus. Imo viscera benè ibi vidimus constituta. In abdomine verò Hepar peritonæo connatum, & propriæ substantiæ loco ex hydatidibus magna ex parte coagmentatum sese obtulit. Hanc hepatis partem peritonæo connatam perforaverat iste audaculus, cùm apertionem in thorace institueret; & ex ea Hydatides proruperant. Quod eò facilius contigit, quia tota substantia hepatis eo in loco in hydatides degeneraverat: ita ut inter cavitatem illam & peritonæum,

folia membrana, hepar ambiens, peritonæo connexa; intercederet.

OBSERVATIO LXVI.

Exsectus Lien vivi Canis, non obstante notabili hæmorrhagiâ, superstitis.

Vulnera abdominis penetrantia cum modica sanguinis effusione in ejus cavum, sine læsione tamen visceris nobilioris, non tantum periculi afferre mihi videntur, ac nonnulli quidem voluere. Exemplo fit nobis canis mediocris magnitudinis, cujus splenem, in discipulorum gratiam, nuper exsecui, post ligationem vasorum spleneticorum, arteriolâ epiploicâ neglectâ. Abscisso liene cum annexis & ligatis vasis, tantum effundebat sanguinis dicta non ligata arteriola, ut jamjam videretur moriturus canis. Eâ tamen sine vinculi injectione in abdomen intrusâ, ubi dubio procul non statim desit sanguinem effundere, vulnere futurâ abscessâ prospexi, & brevi temporis spatio, id est intra 6. 7. dies, vulnere consolidato convaleuit canis. Primis à sectione diebus, nec cibum nec potum appetebat, subinde vomendo. Post hosce dies cibum avidissimè devorabat, quemadmodum in hunc usque diem.

Itaque vulnera, in abdominis cavitatem penetrantia, cum sanguinis effusione modicâ in ejus cavum sine visceris nobilioris læsione per se lethalia haud sunt pronuntianda, quantumvis paracentesi nullus ferè hic detur locus in tali casu. Anxiè inquirendum non est, quando, & per quas vias dictus cruor à natura superabitur: experientia sæpius confirmavit, ejusmodi sanguinis effusiones sine ulla noxa fuisse reparatas. Præter vias adeò decantatas, uti sunt alvus, pori, renes, &c. alios quoque esse meatus credo, nec ipsa Lymphatica & sanguinea vasa secludenda puto. Sanguis enim extra vasa effusus, & in cavitate hac vel illa conclusus, aut concrescit, aut fluidus remanet. Si concrescat, sicut post venæsectionem fieri videmus in scutellis, dubio procul post aliquod tempus, si non in totum, saltem maxima ex parte etiam in ferosum resolvitur humorem, sicut venâ sectâ quoque videmus fieri; & sic aptus natus redditur ut partim recipiatur à vasis. Si verò non

non concrefcit effufus cruor, non minor eft ratio, quod à vafis, præfertim venis, reforberi poffit; modò quantitas fit modica, & aër fecludatur. Si verò multum fanguinis detineatur in abdominis cavo, vulnufque magnum, aërque non fecludatur, corrumpitur fanguis, febres accedunt, & vulnerati in periculo magno verfantur.

OBSERVATIO LXVII.

Spina Dorsi in circulum recurvata.

INter offium affectus nunquam me vidiffe memini rariorem, quàm talem ferè in nihilum redactionem Corporum, (fic dicuntur partes anteriores vertebrarum) in qua corpora aliquot vertebrarum ita in fe invicem erant adaéta, ut vix corpori unius vertebræ in omni dimenfione responderent; & quod omnium admirationem excitare aptum eft, in Musæo nostro refervamus feptem dorsi vertebras per ancylofin aut offeam fubftantiam coalitas, & in orbem ita recurvatas, ut corpus supremæ vertebræ cum corpore infimæ fit conjunctum. Vide Fig. 54. 55. Corpora quatuor dictarum vertebrarum vix unius vertebræ corpus adæquant. Videmus in gibbofis spinam dorsi femper recurvari: verum enim verò ita incurvari, ut unius pars fuprema cum alterius parte infima fit conjuncta, summam meretur admirationem. Gibbofum fuiffe hominem, è quo defumptæ funt dictæ vertebræ, non eft dubitandum: fatis verò mirari non poffum, quomodo corporibus vertebrarum in fe invicem ita adaëtis, ac fi fub prælo fuiffent preffa, (unde multo brevior reddita erat fпина) hoc fuerit ferendo fpinalis medulla, pars adeò nobilis, & tantâ fensus teneritudine prædita, ut vix ac ne vix quidem lædi fine fummo corporis detrimento poffit. Siquidem dictus affectus morbis congenitus fuiffet, non foret tam mirabilis, aít verò credibile eft poft nativitatem vertebras eandem incurvationem contraxiffe, in gibbofis enim pluries contingere talem corporum vertebrarum in nihilum redactionem, varia fpecimina in nostro Musæo confervata teftantur.

Figur. 54. Explicatio.

- A. Septem vertebrae spinæ dorsæ lateraliter visæ, quarum corpora per osseam substantiam non solum connata sunt, verum etiam corpus supremæ adnata est corpori infimæ.
 B. Corpus supremæ vertebrae.
 C. Corpus infimæ.
 D.D.D.D.D.D.D. Spinosi processus.
 d. d. d. d. d. d. d. Processus transversæ.

Figur. 55. Easdem septem vertebrae, parte anteriori visas, repræsentat.

- A. Corpus supremæ.
 B. Corpus infimæ.

OBSERVATIO LXVIII.

Ventriculi & intestinorum ob inediam prodigiosa contractio.

Post inediam diuturnam, & post atroces dolores, non solum emaciari corpus humanum, verum etiam aliquando & stomachum cum annexis intestinis ita contrahi, ut nil minus quam intestina & stomachum repræsentent, observavi. Hujus mali exemplum ostendimus in cadavere cujusdam viri Nobilis, præsentibus D^{is}. Pisone & de Dieu, Medicinæ Doctoribus celeberrimis, ut & Chirurgo à manu Anthonio Paemburgio; cujus ventriculum in intestinum degenerasse dixisses. Vide Fig. 56.

Figur. 56. Explicatio.

- A.A. Stomachus humanus valdè contractus è corpore adulti.
 B. Os sinistrum Stomachi.
 C. Os dextrum s. Pylorus.
 D. Portio intestini duodeni.
 E. Oesophagi seu gulæ particula.

Fig. 55.





Fig. 54.








Fig. 57

Fig. 58.





Fig. 56.

Stomachus postica parte visus,



OBSERVATIO LXIX.

Valvulae Cordis osseae & coalitae.

IN Corde humano ossa reperiri non est planè insolitum. Nul-
 lus verò Authorum, quos legi hæctenus, de cordis valvulis
 deformibus & osseis factis, atque in totum coalitis, quicquam
 memoravit. A longo tempore de asthmate & dyspnœâ con-
 questus Mercator quidam, cui pulsus tandem adeò parvus fa-
 ctus est, ut nemo adstantium eum sentire valuerit per aliquot
 dies, & sic in continuas incidens lipothymias, diem suum,
 nullis remediis levamen afferentibus, obiit. Cadaveris disse-
 candi copiam mihi fecere R. van Zeyl, L. Mahiu, van Ton-
 geren, aliique Medicinæ Doctores dignissimi, qui curationi
 præfuere. In pectore mali causam hæud frustra investigavi,
 totum enim thoracem latice aquoso repletum conspexi; Cor
 propter animi deliquia, (quæ in fine morbi sæpius perpeffus
 fuerat) & pulsus defectum, perscrutans, Valvulas Cordis Se-
 milunares dictas, deformes, in osseam substantiam degenera-
 tas, & ita coalitas, observavi, ut nulla visibilis via aut exitus
 sanguini è corde amplius superesset: sicut Fig. 57. repræsen-
 tat, & Musæum nostrum exhibet. Rogabit hic aliquis, quo-
 modo vivere potuerit æger postquam sanguinis è corde egres-
 sus in totum fuit impeditus, propter ossificationem, & coaliti-
 onem valvularum semilunarium? & hæud dubitandum esse,
 sanguinis fluxum perseverasse quantum ad vitam absolutè ne-
 cessarium fuit, donec flamma vitalis obrueretur, propter
 omnimodam occlusionem & obturationem dictæ viæ. Dixi
 me nullam aperturam naturalem vidisse, neque pulsum ulti-
 mis diebus perceptibilem fuisse. Sed ex iis hæud constat, pul-
 sum & sanguinis egressum tunc è corde in totum fuisse pro-
 hibitos: Vixit quamdiu aliquid adhuc restaret pulsus, &
 sanguinis è corde effluxus. Quibus deficientibus, moriendum
 erat ægro.

Figur. 57. dilucidatio.

- A. Pars arteriæ magnæ circa cordis egressum.
 B. Valvula in exitu cordis sita, & ab ossificatione & coalitione tam deformes facta, ut nil minus quàm valvulas semilunares repræsentent.
 C. Pars arteriæ magnæ ascendentis.
 D. Pars arteriæ magnæ descendentis.

OBSERVATIO LXX.

Partium quarundam induratio in Hydropica.

AB atrophiam & corporis marcore partes nonnullas indurescere, imo offescere, vel lippis atque tonsoribus notum. Id autem etiam in hydropicis contingere posse, sequens probat exemplum. Mulier quædam Utero gerens, & hydrope ascite simul laborans, syndromen malorum tempore gestationis perpeffa est. Enixo foetu maturo non desiêre illam vexare ascites, præcordiorum anxietates, dolores intolerabiles, & multa alia mala; donec Deo ter Opt. Max. placuit, miseriis ejus finem morte imponere. Cadaveris apertione latici aquoso exitum paravi. Quo factò, peritonæum variis in locis duris particulis, arenulas mentientibus, conspersum, venamque portæ ex parte osseam factam, reperi. Vide Fig. 58. Venamque ipsam domi reservo. Cætera viscera satis benè erant constituta, Omento excepto, quod in totum erat consumtum.

Figur. 58.

Exhibet portionem Venæ portæ ossificatam.

OBSERVATIO LXXI.

In Fœtu cutis circa umbilicum defectus lethalis.

MUltoties infantulos vidi in lucem editos, quibus abdominis cutis & muscutorum pars in ambitu funiculi deerant, magni-

Fig. 60.




Fig. 59.



magnitudine solidi argentei, (Belgicè *een schellingh*) ita ut intestina eo loco tenuissimâ tantum pelliculâ tegerentur: vide Fig. 59. Hunc affectum sæpius à me visum, aut nunquam curatum memini: Omnes enim ab utero ad tumulum delati fuere 5°, 6°, 7°, 8°, aut 9°. die. Iste affectus ab aliis audit Hernia umbilicalis, à qua tamen multum discrepat; nulla enim hernia potest dici umbilicalis, antequam umbilicus existat, quemadmodum in recenter natis, in quibus nullus umbilicus; nisi in tam larga significatione hanc sumseris vocem, uti nonnulli fecere, qui funiculum umbilicalem subinde Umbilicum nominant. Umbilicus propriè loquendo est rugosa illa particula cutanea in abdominis medio prominens, quæ post nativitatem decidente funiculi particulâ remanet, sæpissimeque summopere extenditur, & Hernia Umbilicalis audit. Hic verò habemus morbum in Numero; cutis enim & cuti substrati muscoli in funiculi umbilicalis ambitu deficiunt, unde funiculus umbilicalis sese quoque circa insertionem in abdomen ita extendit, ut pellicula tantum videatur, intestinaque transpareant. Hic affectus omnem perfectam curationem eludit, itaque palliativa instituenda, solo emplastro diapompholigos, aut simili, quod nullam obtinet tenacitatem, ne nimis parti teneræ adhærens, viscerum eruptioni occasionem præbeat.

Figur. 59. Explanatio.

A. *Pars fœtus septimestris.*

BB. *Crura.*

C. *Abdomen.*

D. *Funiculus umbilicalis circa insertionem in abdomen, qui*

EEE. *Ita expansus ut pellucidam membranam repræsentet, & intestina transpareant.*

F. *Funiculus umbilicalis.*

OBSERVATIO LXXII.

A cutis circa fœtus umbilicum defectu, viscerum profusio.

EX affectu supracitato malum multò deploratius semel vidi ortum, quum solito esset difficilior partus: Nempe intestina,

stina, stomachum, lienemque è corpore effusa, foetu per aliquot horas adhuc vivente, quantumvis omnia dicta viscera essent nuda, & omni integumento destituta; hîc nobis motum peristalticum intestinorum videre difficile non erat. Quàm male audiant Obstetrices, quibus hoc in obstetricatione contingit, si Medici hac in re imperiti accedant, qui hoc malum nunquam viderunt nec norunt, facile est colligere. Non Obstetrix, ast cutis & cuti substratorum muscutorum defectus in causa sunt viscerum eruptionis, quæ in partu, præsertim difficiliore, exitum quærunt.

O B S E R V A T I O LXXIII.

Casus non minus notabilis circa cutis muscutorumque abdominis defectum.

Affectus supra memoratus semel mihi obvenit in foetu jam jam in lucem edito, in quo maxima pars cutis muscutorumque in anteriore abdominis parte deficiebant. Hîc videbamus viscera solo peritonæo tecta, quod adeò tenue existebat, ut non solum viscera distinctè videremus, verum intestinorum motum peristalticum. Hic vixit per diem unum atque alterum.

O B S E R V A T I O LXXIV.

A Pyloro relaxato Appetitus caninus.

Quamvis [variæ] appetitus canini & lienterix intra viscera delitescant causæ, evidentiorum tamen nullam unquam offendi, quam nuper reperta est in dissectione cadaveris foeminini, præsentè D^o. Joh. Smedingh, Medicinæ Doctore præstantissimo. Mulier quædam à longo tempore appetitu canino vexata assiduâ aviditate cibos ingerere debuit ac voluit. Stomachus alimentis infarctus, eadem haud diu retinere potuit, propter pylori relaxationem: Unde intestina justo celerius onerabantur cibo, quorum quidem munus similiter est ulteriori ciborum coctioni inservire, non tamen cibum crudum in chylum convertere: Itaque paulo post pastum semper

per ferè de torminibus ventris fuit conqueſta, idque tam diu donec Deus ter Opt. Max. hiſce miſeriis finem imponeret morte. Aperto cadavere viſcera ſatis benè conſtituta reperièbantur; ſolo Stomacho excepto, cujus Pylorus, ut mox ante dictum, ita erat relaxatus, ut omnes digitos junctim compositos admitteret.

OBSERVATIO LXXV.

Notabile Vesicæ vulnus feliciter sanatum, succedente Hernioso tumore.

Quantum ſint momenti vulnera Vesicæ circa fundum aut latus inflicta, ex eo conſtat, quod multi eadem lethalia pronunciarint. Quin difficiliſſimis ſint curationis, gravioſaque inferant ſymptomata, nullum eſt dubium: at verò notabilia partis iſtius vulnera ad conſolidationem perducere, hoc certè rarum eſſe nemo non fatebitur; ſubinde tamen obſervatum. Præterito anno Civis Amſtelodamensis in hypogaſtrio fauciatus, tantum accepit veſicæ vulnus, ut ne guttam quidem urinæ amplius per penem excerneret; è vulnere contra tantum urinæ continuè profunderetur, ut æger in lecto quaſi nataret, & omnia abundè humectarentur. Poſt vulnus inflictum, brevi ſcroto tumefacto, in levem incidit gangrænâ ſcroti, non ſine animi deliquiis. Huic gangrænæ, cataplaſmatibus convenientibus è Phellandrio, mica panis, & vino occurrentes, brevi eandem vidimus coërcitam, multumque ſolatii obtigit ægro, duabus ſpongiis lateribus vulneris applicitis, quæ maximam urinæ partem reſorbabant. Poſt aliquot dies in ipſo vulnere, ſarcoticis medicamentis linteo carpto exceptis proſpecto, exiguam conſpeximus incarnationem, & per penem ſanguinis grumofi portionem cum guttis aliquot Urinæ ejeſtam; quod nobis & ægro animum addidit. Sequentibus diebus incarnatio tantum ſumſit incrementum, ut omne lotium per penem redderet, breviſſime poſt ſanaretur. Ab hoc tempore benè ſeſe habuit; nuper verò ſine prægreſſa notabili cauſa conqueſtus eſt de exiguo dolore circa cicatricem, qui locus in tumorem coëpit attolli, dubio procul hernioſum: hoc enim ſæpius comperi, poſt ſanata vulnera in abdominis cavum penetrantia, herniam

niam exoriri ; propterea quod peritonæum rarò ad perfectam coalitionem pervenire soleat , quamobrem prudenter agunt, qui post ejusmodi curam cingulum per aliquot annos gerunt ad præcavendam herniam. Curationi supra memoratæ mecum præfuère Dom. Van der Wenden , Medicinæ Doctor eximius , ut & Johannes de Wall Chirurgus satis expertus.

OBSERVATIO LXXVI.

Linguae ulcerosæ durities scalpello & cauterio extirpata.

QUæ in monetis Belgicis invenitur inscriptio, *idem Tutor & Hostis*, (nempe Mare) eandem Dentibus nostris accommodare liceat ; qui benè constituti (præterquam quod linguæ & faucibus tutelæ sunt) cibum diminuunt, variisque in rebus nobis inserviunt ; malè è contra affecti hostes nobis infestissimi evadunt. Ecquæ pars corporis tam immanes in nobis excitat dolores , prout illi, simul ac cariosi redduntur ? Imò ne linguæ quidem parcunt , quæ ab illis cariosis non rarò ita induratur & exulceratur, ut homines è medio tollantur. Varia in medium possem proferre exempla, ast illa extra scopum forent. Videamus solummodò quomodo curanda sit lingua, ab hac causa non solùm indurata, verùm etiam exulcerata. Curatio isthæc semper ab evulsione dentium malè constitutorum est inchoanda, linguæque Mel rosarum, cum Olei vitrioli tantillo pro re nata mixtum, applicandum, idque sæpius uno die, quia diu non adhæret parti affectæ : si huic aut simili remedio non cedat malum, tumorque incrementum sumat, aut pars affecta magis magisque exulceretur, & magis fungosa appareat, aut labia recurventur, tota pars linguæ indurata & exulcerata extirpanda, & post extirpationem inurenda ; per experientiam enim sum edoctus, nil magis valere (malignitatis signis apparentibus) quàm inunctionem cauteriis actualibus, extirpatâ corruptâ portione, institutam. Alii potentiale cauterium præferunt, ast minus prudenter. Vetula quædam à longo tempore hoc malum perpessa, post iteratam sectionem recidivam passa est ; inde exanimis fere facta à nobis auxilium petiit, itaque cum Magistro Petro Mennonista, sæpius memorato, qui antea malum semel

mel quoque incassum (quamvis fatis profundè sectio fuerat facta) amputaverat, deliberavi quo remedio affectus radicitus foret evincendus, decrevimusque iterandam extirpationem, & post eâdem peractâ inustionem cauteriis appropriatis & fatis magnis faciendam. Postquam ægra hæc à nobis perceperat rem nondum esse desperatam, & aliquod adhuc remedium superesse, nempe amputationem, & post eam, inustionem, facilè consensit, animoque adeò forti & infracto operationes pertulit, ut vix ullos ejulatus emiserit. Præmissis itaque universalibus, linguam linteo comprehendimus, quo melius posset ore extrahi, postea scalpello acuto incurvatoque totum malum abstulit dictus Magister: quo factò, parti interiori buccæ linteum aquâ frigidâ madidum applicitum est, ne bucca nimis à cauteriis læderetur. Hoc factò partem læsam cauteriis inustimus, sat fortiter cauteria adigendo, idque semel atque iterum iterando. Posthac oris collutionibus emollientibus usa est ad dolorem compescendum & escharæ casum promovendum, quâ separatâ, cura brevi absoluta est tincturâ myrrhæ & aloës, mixtâ cum decoctis exsiccantibus & melle rosaceo, chelidonii, &c. Atque hæc peractâ curâ vetula isthæc vivit & valet in hunc usque diem.

OBSERVATIO LXXVII.

Polypi in Antro Highmori hærentes.

Qualis sit affectus, Polypus, vel lippis atque tonsoribus notum: Sedes verò, & è qua parte idem erumpat, non item. Sunt qui existimant Polypum nares tantum obsidere, alii fauces, imò aures etiam ab eodem occupari autumant. Nos in quarti paris (quod apud alios tertium par audit) officium maxillæ superioris cavitate, ab Highmoro *Antrum* dictâ, his polypos invenimus. Semel in publica Anatome videre mihi contigit polypum in hac ossis cavitate: cujus formam videtis Fig. 60. Secundâ vice eos offendi in eodem Highmori Antro anno 1679. præsentibus expertis Chirurgis Magistro Petro Adriani filio, & Magistro van Ulsen: scilicet in muliere quadam, quæ à malæ tumore & gingivarum excrescentia maligna pessimè habebat. Post excrescentiæ amputationem,

nem, dentium aliquot molarium evulsionem, inusserunt, me præfente, partem affectam supra citati Magistri, ad Antri dicti cavitatem usque cauterio actuali. E quâ sequentibus diebus minimo digito plurimos polypos extrudimus. Vide eosdem depictos Figur. 61.

Figur. 60. & 61. Explicatio.

- A. *Os malare.*
- B. *Polypus in Antro Highmori repertus.*
- C. *Dictus polypus ex Antro desumptus.*
- DD. *Polypi varii Highmori Antro digitis expulsi in muliere.*


OBSERVATIO LXXVIII.

Vesicæ scabies interna unâ cum excrescentiis glandulo-carneis.

QUAMVIS proprium Impetiginis subjectum communiter, & quidem non malè, statuatur Cutis; aliquoties tamen ferè eandem in interiori Vesicæ tunica observavi, cum dolore vehementiori, mingendi desiderio frequentiori, Urinæ purulentæ excretionè, & tanta vesicæ incrassatione, ut revera digiti spissitudinem adæquaret. Ex hoc affectu scabioso ortum quoque ducunt tumores, seu excrescentiæ glanduloso-carneæ, ex interiori vesicæ tunica propullulantes, quæ si prope collum vesicæ hæreant, non rarò Ischuriam inducunt tantam, ut non nisi cathetere inserto lotium reddi possit. Vide Figur. 62.

Figur. 62. Elucidatio.

- AA. *Hominis Vesica urinaria, cujus substantia*
- BB. *Summoperè est incrassata.*
- CCC. *Interior Vesicæ tunica scabioso affectu obsessa.*
- DD. *Vreteres.*
- EEE. *Carunculae ex interiori tunica erumpentes, quarum maxima pedunculo interiori tunicæ adhæret.*





OBSERVATIO LXXIX.

Circa Renum vasa mirabiles naturæ lusus.

SI ullibi in Corporum sectione lusus naturæ conspiciuntur, certè potissimùm circa vasa Renalia istud contingit. Quoad Arterias renales, seu emulgentes, quamvis ut plurimum simplices, non rarò tamen duplicatæ imò triplicatæ quoque ex arteria magna erumpunt. Antequàm dictæ arteriæ renes intrant, diversimodè ramificantur, nunc enim bifurcantur, nunc trifurcantur, nunc magis ac magis multiplicantur rami, quemadmodum abundanter in Musæo nostro easdem arterias præparatas confervo. Quod ad ureteres & pelvim, licèt utrumque renem ut plurimum unica tantum gaudere pelvi observamus: non rarò tamen eandem bifurcatam, imò trifurcatam inveni, quemadmodum inter nostra rariora talem commonstrare possumus. Hanc pelvim à calculis, & urinæ obstructionibus non rarò reperi ita extensam, ut renem ipsum recipere potuisset. Quamvis etiam simplices communiter sint ureteres, tamen contrarium in rene sinistro, duobus ureteribus instructo, in cadaverè ante tres annos publicè demonstravi, quorum unus ex superiore, alter ex inferiore renis parte, erumpebat: hosce ulterius denudavi, reperique utrumque coire antè suam in vesica insertionem, ita ut unico canale vesicam intrarent: Vide Fig. 63. Post-hac cadaver dissecaui, in quo observavi duos ureteres prodire ex uno rene, quorum uterque separatim Vesicam intrabat. Hoc quantumvis etiam à Riolano visum, tamen adeò rarum esse censui, ut operæ pretium duxerim dictam vesicam cum annexis ureteribus Balsamo nostro præparare, & inter cætera Anatomica reponere.

Figur. 63. Expositio.

- A. Ren sinister.
 BB. Duo ureteres ex uno rene erumpentes.
 B. Unio dictorum ureterum.

OBSERVATIO LXXX.

Renis in adulto inæqualis superficies.

Renum superficies admodum æqualis existit in adultis; in nuper natis verò Renes ex variis particulis & quasi è glandulis variis coagmentati videntur, unde eorum superficies admodum inæqualis est. Hanc superficiei inæqualitatem adultorum renes rarissimè servant, ut in cadavere, nuper à me dissecto, occurrit, sicut ostendit Fig. 64.

Figur. 64. Explicatio.

- A. *Ren sinister cujus superficies admodum inæqualis existit.*
- B. *Vena & arteria renalis.*
- C. *Vena & arteria per ureteris partem superiorem dispersa, quarum origo vena & arteria renalis.*
- D. *Superior pars ureteris.*

OBSERVATIO LXXXI.


De Tumore spongioso seu Ossivoro memorabilia.

INter omnes, quos vidi hætenus, tumores, non memini me unquam conspexisse tam ingentes, quam illi erant, quos ante tres fere annos, cum Andrea Boekelmanno Chirurgo sæpius memorato, offendi prope Amstelodamum in Pago, qui dicitur *Sloten*. Hic nimirum decumbebat Sutor, cujus femur paucis antè obitum diebus visitavimus tumoribus duobus spongiosis obsessum. Quorum alter septem ulnæ quadrantes, alter verò unicum ulnæ quadrantem in circumferentia æquabat. Affectus iste (quantumvis plures reperiantur tumores spongiosi, qui nullam cum hoc tumore habent affinitatem) per excellentiam tamen dicitur Spongiosus. Germani quoque eandem denominationem servant, nempe, *ein Swiam*. Apud nostrates dicitur *Been-eter*; idque non sine ratione; nunquam enim hunc affectum post mortem sine ossis corruptione inveni, unde conjicere licet, hoc malum ab

offis

Fig. 64.

Pag. 74.





offis malâ constitutione ut plurimum ortum ducere, eò magis, quod à graviore lapsu, aut offis collisione sæpius oriatur. Hujus affectus quamvis nullus Chirurgorum ignarus esse debeat, plures tamen offendi, qui propter ignorantiam, nec famæ suæ, nec salutis corporeæ afflictorum benè consulentes, hunc tumorem scalpello aperuere, sibi imaginantes, pure eundem esse oppletum, quo aperto non pus, ast verò parum humoris sanguinolenti semper effluit, &, quod dolendum, aperto tumore per scalpellum gangræna ut plurimum subsequitur, eamque brevi post, ipsa mors. Noscitur hic affectus, quod absque ullo, saltem absque notabili oriatur dolore; tardè in principio procedat, postea verò celeriter incrementum sumat, magna & quidem livida vasa per tumorem sparsa sint; quæ ita vidi expansa, ut sua sponte reserarentur, ægrumque citò interficerent. Tumor ut plurimum mollis, ac si humoralis magna ex parte esset. Sæpissimè artus occupat, præsertimque crus. Iterum moneo, quod si aperiatur scalpello dictus tumor, brevi vitâ privari ægros. Verùm quando, ceu non rarò etiam contingit, sua sponte post excoriationem exulceratur, diu sæpè adhuc superstites remanent ægri. Præterea semel observavi, tumore ante mortem non aperto, offis corruptionem non fuisse nigro colore infectam, quin totum quod erat cariosum, niveum ac naturalem servasse colorem: è contra verò semper observavi, si ante obitum fuerit apertus, ab aère os nigerrimum fieri, idemque pultis instar digitis posse conteri ac comminui.

OBSERVATIO LXXXII.

Alveoli dentium ob varias causas penitus consumti; unde dentium vacillatio & casus.

Affectui in Observatione 67. descripto, puta Ossium diminutioni, jure merito annumeranda est talis alveolorum dentium in nihilum redactio, in qua ne vestigium quidem eorum relinquitur. Unusquisque tanquam ex tripode dictum, pro certo habet, alveolos seu præsepiola post dentium evulsionem aut casum spontaneum neutiquam manere aperta. Cui opinioni calculum quoque appono: Ast verò quid propriè

propriè in illa commutatione eveniat, non satis unanimiter eloquuntur Anatomicorum Coryphæi. Curiosus partium & structuræ Corporis indagator Thomas Bartholinus hæc nobis reliquit in sua Anatomia cap. 9. fol. 720. *Aliquando obliterantur & constringuntur (de dentium differit alveolis) dentibus cadentibus vel evulsis. In senio non rarò amissis dentibus alvei obliterantur, & circuitus acutiores facti, durique, ut in senibus ad manducandum dentium vices subeant. Adrianus Spigelius super hac re ita inquit: Tot sunt cava, quot dentes, cum quilibet primùm erumpens sibi proprium ac peculiare condit præsepiolum, concidens etiam secum unà alveolum suum perdat, ita ut ne vestigium quidem maneat. Johannes Riolanus in sua Anthropographia hæc habet: Dente evulso, nisi novus succedat, ita constringitur & occæcatur alveolus, ut ipsius nullum remaneat vestigium.*

Horum neminem refutare animus est, sed potius eorum observationibus illustrandis hæc addere; nempe, non solum alveolos in senio obliterari, & circuitus acutiores & duriores fieri ad manducandum, aut alveolos occæcari, aut concidere; sed præterea in multis ita in nihilum redigi, ut, mirum visu! maxilla tam superior quàm inferior tantum spatii in profunditate amittat, quantum occupavêre alveoli; ita ut ne quidem minimum digitum lata maneat inferior, superiorque ad nasum ferè usque deficiat. Vid. Fig. 65. Hinc foramina pertranseunti ramo nervi quarti paris (ut cum Antiquis loquar) destinata, non in antica & laterali maxillæ inferioris parte, sicuti in maxillis, quæ dentibus, alveolisque omnibus instructæ sunt, inveniuntur; verùm in summo maxillæ inferioris, sicuti ex Fig. 65. & 66. lit. b. & c. liquet. Hinc etiam maxilla superior tantum amittit de sua altitudine, ut inter os & nasum latitudo calami scriptorii vix intercedat. Causam istius destructionis aut potius totalis annihilationis alveolorum, soli attritioni in masticandis cibis non possumus adscribere; sæpè enim videmus, dente uno evulso alveolum ipsius ita aboleri, dentibus proximè adfisis alveoli attritionem cohibentibus. Imò non rarò in nihilum rediguntur alveoli ante dentium casum aut evulsionem, unde vacillantes dentes maxillis solummodò cohærent gingivarum & membranarum beneficio; & gingivis quoque deficientibus,
eos





Fig. 65.



eos soli membranæ adhærentes deprehendi: Frustra itaque in tali constitutione dentium remedia ad firmiorem cohæſionem quæritant homines, totum malum ſcorbuto attribuentes, & nil minus quàm defectum alveolorum ſuſpicantes. Noli interim credere, Lector benevole, hoc malum nemini contingere, niſi ætate provectioribus: memini me hoc in triginta ſolùm annos nato vidiffe, qui aliquot ex anterioribus dentibus ita vacillantes aliquandiu geſtarat, donec nullis proficientibus remediis antiſcorbuticis facillimè eos ſolis digitis eveleret. In aliquibus (ut dixi) etiam obſervavi, ſimul cum alveolis gingivas perire, & per ſolas tunc membranas dentes maxillis adhærere, idque tam laxè, ut ne quidem liberè comedere poſſint afflicti, imò à linguæ motu in locutione tanquam fluctuantes ſeſe moveant dentes. Vid. Fig. 66. *L. a. a.* Dixi ſuperiùs, eorum alveolos in maſticando cibo ab attritione ſola non aboleri, neque etiam puto eos ſemper pelliculâ offeâ claudi, aut concidere, vel occæcari, verùm in nonnullis ſenibus in totum aboleri & in nihilum redigi, quemadmodum arteriæ umbilicales, foetu in lucem edito, ſæpè in tenuem degenerant membranam, ac ſi nunquam arteriæ exſtitiffent; ſic & mammæ in ſenectute ſæpenumerò in totum exareſcunt. Itaque ſi perquàm tenues ſint à naturâ facti alveoli, evulſis aut elapſis dentibus non habent unde repleant cavitatem, & propterea maxillæ ita diminuuntur. Si verò aboleantur alveoli antequam dentes exciderunt, nullam aliam agnoſco cauſam, quàm ſcorbuticam affectionem, & tartaream materiam dentes obſidentem; unde non ſolùm gingivæ, verùm etiam alveoli ſenſim ſenſimque conſumuntur.

Figur. 65. Declaratio.

- A. *Senis caput offeum.*
 B. *Maxilla inferior, cujus dentes non ſolùm elapſi, verùm etiam alveoli in nihilum ſunt redacti, unde aded gracilis eſt facta, ut dimidiam profunditatis partem miſerit.*
 b. b. *Foramina dictæ maxillæ exeunti ramo nervi quarti paris deſtinata, quæ hic in ſupremo maxillæ ſeſe produnt.*

C. *Demonstrat quantum quoque post dentium elapsum, & alveolorum in nihilum reductionem, de sua altitudine amiserit maxilla inferior: Vix enim latitudo calami scriptorii superest.*

Figur. 66. Expositio.

A. *Maxilla inferior, cujus alveoli in nihilum sunt redacti, superstitibus duobus dentibus molaribus qui*

a. a. *Solis membranis adhærent, propter alveolorum gingivarumque defectum.*

B. B. *Ejusdem maxillæ processus condylofi, à me obtusi dicti.*

CC. *Processus acuti.*

c. *Foramen exeunti nervo quarti paris destinatum.*

Figur. 67.



Maxillam inferiorem naturaliter constitutam cum suis alveolis, ut differentia conspici possit, demonstrat.

OBSERVATIO LXXVIII.

Sterilitas è Tubarum Fallopiantarum clausura.

Sterilitatis mulierum multæ inveniuntur causæ, inter quas Tubarum Fallopiantarum clausura haud infima est habenda: Hanc modò circa insertionem in uterum, aliàs in earum extremo observo. Si tot cadavera non secuissem, nunquam credidissem, Tubas Fallopianas seu Oviductus tam frequenter in mulieribus esse clausos, quod sæpiùs à partu difficili (in quo non rarò illæ partes levem inflammationem patiuntur) vel ab aliis ventris doloribus provenire expertus sum; & quod observatu dignum est, si in extremitatibus sint clausæ tubæ, ut plurimum eas arctè cum ovariis coalitas inveni, quod magis experientiam nostram, quoad causam, confirmat; videmus enim sæpenumerò, viscera, postquam inflammationem conceperunt, ad se invicem contrahi & uniri. Præterea in hoc casu sæpissimè tubas valdè reperi extensas, præsertim circa earum extremitates, sicut Vid. Figur. 68.

&







Fig. 68.



Fig. 69.



& in Musæo nostro unicuique demonstrare possum; id quod Oculatissimus Anatomicus Regnerus de Graaf semel quoque observavit, ut patet in Tractatu *de Mulierum Organis generationi inservientibus* pagin. mihi 356. Crediderim hanc præternaturalem extensionem fieri ab occæcatione tubæ, & humoribus ac flâtibus ex uteri cavitate (eo tempore, cùm os Uteri nimis arctè clausum est) exitum quærentibus, quod facilius erit annuendum, si subsequentes legantur Observationes.

Fig. 68. Uterum cum annexis repræsentat

A. Uterus humanus.

BB. Oviductus seu Tubæ Fallop. summoperè extensæ, & occæcatae in suis extremitatibus.

CC. Ovaria.

D. Omenti portio uteri fundo coalita.

E. Cs Uteri internum.

FFF. Hydatides ab ovariis & fimbriis dependentes.

OBSERVATIO LXXXIV.

Verosimilis Lochiorum eruptio per Tubas Fallopianas in abdominis cavitatem.

IN platea vulgo dicta *de Kalverstraat*, visitavi nuper puerperam acriter febricitantem, & de hypogastrii tensione ac induratione, non sine immani dolore, conquerentem. Remediis emollientibus doloremque lenientibus usa fuit; ast verò illis nil proficientibus, brevi post è vita discessit. Aperto abdomine inveni in pelvi multum materiæ foetidæ, (vide Observationem 43.) loturæ carnis aut lochiorum corruptorum ad exemplum, qualis etiam à me reperta est in uteri cavitate. Hoc suspicandi ansam mihi auxit, dictum humorem per Oviductus aut Tubas Fallopianas pervenisse ad abdominis cavitatem & pelvim, & hoc puerperis pluries contingere, si pariendi conatus & dolores sint vehementissimi, & os uteri ita clausum sit, ut per idem lochia exitum invenire haud valeant; imò etiam in ipso partu laboriosissimo, foetus

capite dictam viam in totum occludente, humoribusque pone foetum aliam sibi viam quærere; non valentibus: Hinc sæpe immanes illos Hypogastrii dolores, de quibus frequenter queruntur puerperæ, ortum ducere, non est cur dubitemus.

O B S E R V A T I O LXXXV.

Verosimilis eruptio menstruorum per Tubam Fallopiam in pelvim.

Probabile esse humores heterogeneos in utero contentos per oviductus seu tubas Fallopias ad pelvim & abdominis cavitatem posse deduci in parturientibus, superius innui. Quo minus quoque sanguis ex uteri cavitate per dictos ductus, ore uteri clauso, ad pelvim pervenire possit extra statum partus, haud video; imò rem probabilem in medium proferam. Menstruatæ olim aperuit cadaver R. Rhoonhusius Chirurgus dexterrimus, (præsentibus D^o. Dortmuntio, nostri Nosocomii Medico meritissimo, nec non Adriano Coenderdingio Chirurgo eximio) in cujus uteri cavitate coagulatum & utero leviter adhærentem observavit cruorem, quo tuba ejusdem lateris quoque non solum erat conspersa, verum etiam Ovarium, in cujus superficie coagulatus copiosè firmiterque adhærebat. Hunc Uterum cum Ovario annexo & sanguine coagulato, prout mihi demonstrarunt dicti amici, in Musæo nostro reservo, Balsamo ita conditum, ut omnia naturalem situm, magnitudinem, & figuram servarint, idque sine rugis, quæ post exsiccationem sæpius remanere solent.

O B S E R V A T I O LXXXVI.

In Hydropici cadavere Hepar malè & quomodo affectum.

Quantumvis in Hydropicis glandulas præsertim hepatis indurari, sæpius accidat, attamen non semper ad amussim sibi invicem respondere ejusmodi casus reperio. Nonnullorum hydropicorum jecinora in totum indurantur, superficie manente æquali, glandulisque insensibilibus. Aliquando ita augentur glandulæ, ut per universam hepatis superficiem expul-

OBSERVATIO LXXXVII. 81

expullulent. Nonnunquam hæ glandulæ sunt magnitudine nucis avellanæ. Nuper cadaver cujusdam hydropici (cujus pedes à tribus ferè annis œdematosi facti, unde tandem, in mari naufragio facto & multum frigoris perpeffus in verum Ascitem inciderat) difsecui, præfentibus Viro Doctiffimo Petro Bernage, Medicinæ Doctore expertiffimo (qui mihi cadaver aperiendi copiam fecerat) ut & Chirurgo Vogelesangh, in arte fua benè verfato. In thorace, quantumvis fummis & continuis anxietatibus fuerat afflictus, nil mali invenimus; omnia abdominis Vifcera optimè erant conffituta, fole hepate excepto; totum enim deprehendimus induratum, cujus fuperficies ubique inæqualis erat, propter glandulas induratas & magnitudine auctas. Harum nonnullæ erant magnitudine capitis aciculæ, aliæ femen lentis æquabant. In abdominis cavitate magnam aquæ copiam deteximus abfque ulla notabili graveolentia.

OBSERVATIO LXXXVII.

In fimili alio Hepar itidem malè affectum, unà cum Calculo in ductu cystico.

VIr quidam, cùm à longo tempore afcite laboraffet, tandem multis remediis incaffum adhibitis, animam efflavit. Cadaveris ejufdem aperiendi anfam mihi fuggeffit Joachimus Schraderus, Chirurgus minimè ineptus, qui diflectio- ni quoque interfuit. Nulla, præter hepar induratum, vifcera malè erant conffituta; veficam felleam admodùm magnam, (uti Vid. Figur. 69.) aquofo (at nullo modo amaro aut biliofo) humore refertam confpeximus, in cujus ductu cystico Calculus occurrebat Ciceris majoris magnitudine, qui meatum in totum obftruebat.

Figur. 69. Declaratio.

- A. *Vefica fellea humana ab aqueo humore valdè extenfa.*
 B. *Calculus in meatu cystico hærens.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Uteri in alterutrum latus retractio.

UTerum præter naturam in hoc vel illud latus torqueri, situmque naturalem mutare, nonnunquam exploravi digitis in viventibus de dolore hypogastrii, mingendi desiderio continuo, & conatu expellendi frequentissimo conquerentibus. Semel tantum in cadavere offendi os uteri in latus sinistrum fuisse retractum, sicut Fig. 69. ostendit. Quid mali inde contraxerit ægra, me latet, qui curationi ejus haud præfui. Hoc tamen scio, ab eodem affectu non fuisse enectam. Credibile tamen aliquid incommodi attulisse ægrotæ, quia ex illo uteri situ perverso, mictio non satis expedita esse potest, quatenus enim os uteri in hoc vel illud latus contrahitur, eatenus quoque os vesicæ sequitur, utpote arcto nexu cohærentia. In hoc utero, quod admodum rarum est, tertium reperitur ligamentum teres, aut rotundum (uti vulgò illa ligamenta nuncupantur) non è fundo, sed è latere cervicis uteri oriundum.

Figur. 69. * Explicatio.

- A. *Uterus humanus in sinistrum latus retractus.*
- B. *Os Uteri internum.*
- CC. *Ligamenta teretia.*
- D. *Ligamentum teres tertium præternaturale.*

OBSERVATIO LXXXIX.


Calculus Vesicæ cum hujus ad digiti usque latitudinem purulentâ incrassatione.

ANno 1672. Juvenis quidam viginti quinque præter propter annorum, Calculo Vesicæ laborans, in Nosocomio nostro Lithotomiæ sese subjecit, at præter spem Calculum educere haud potuit Operator; quantumvis forcipe complecteretur eum, & fragmenta quædam extraheret. Mortuo ægro,

Fig. 72.



*Fig. 69 **






Fig. 71.





Fig. 70.



ægro, Cadaver ejus aperui, calculumque inveni à vesica ita obsessum, & compressum, ut paucis tantum Urinæ guttis locus superesset. Vid. Fig. 70. Vesica digitum transversum crassa, separabilis erat in tunicas innumerabiles, inter quas materiam purulentam, variis in locis pinguedini liquefactæ ad amissim respondentem, deprehendi. Hæc materia purulenta per factum à me vulnus copiosè effluebat, quemadmodum aquam è tibiis œdemate obsessis affundi videmus, post factam in cadavere incisionem. Inter calculum & vesicam parum aut nihil dictæ materiæ purulentæ repertum est; quantumvis eam quoque inter ureterum tunicas, ut & eas quæ renes ambiunt, conspexerim.

Figur. 70. Declaratio.

AA. *Hominis vesica urinaria ab attritu calculi summopere incrassata.*

B. *Calculus ingens.*

CC. *Ureterum portiones.*

OBSERVATIO XC.

Vesicula Fellea sæpius (præsertim in vitulis) bifurcata, ast rarissimè; si unquam, in totum duplex.

DE gemina Vesicula fellea, in hepate reperta, multæ existant observationes in Anatomicorum monumentis. Rarissimum tamen (si unquam contigerit) ejusmodi naturæ lusum existimandum esse puto. Multoties cystin felleam bifurcatam offendi, præsertim in vaccis & vitulis, uti Fig. 71. & 72. demonstrant, quarum aliquot balsamo imbutas in ædibus meis reservo: Ast ne unquam quidem duplicem felleam vesiculam inveni. In duplici Vesicula fellea duplex quoque reperiretur ductus cysticus, sine quo vesicula in totum duplex non foret habenda, & hoc me nunquam invenisse profiteor: Omnes quas vidi hæctenus, fuerunt vesiculæ bifurcatæ uno tantum ductu cystico gaudentes.

Figur.

Figur. 71. & 72. Declaratio.

A A. *Vesicula fellea è corpore bovina desumpta.*

B. *Bifurcatio ejusdem.*

C. *Ductus Cysticus.*

D. *Crucialis apertio, ut tunica interior calculosa facta conspici possit.*


ddd. *Tunica interior calculosa.*

E. *Vituli vesicula fellea bifurcata.*

OBSERVATIO XCI.

Ilei affectus veræ causæ, per varia exempla demonstratæ.

Qualis sit affectus Ileos (quem vulgò etiam *Miserere mei* vocant) quæque propriè ejusdem causa, haud satis convenit inter Medicos. Nonnulli credidère in eodem intestini tenuioris fieri circumvolutionem seu contorsionem, (Belgicè *een krinkel in 't Gedarmte*) sicuti in farciminum (Belgicè *Beulingen*) præparatione deprehenditur. Alii è contra pernegant, intestina posse in nodum circumvolvi, quandiu mesenterio sunt annexa. Putrefacto verò mesenterio (quale semel atque iterum me vidisse memini) idem utique evenire posse arbitrantur. Quod si verò attendamus ad ea, quæ post mortem observare nobis contigit, oportet ut statuamus, Ileon Atoniam esse intestinorum, & præcipue tenuium, concomitantibus vomitionibus frequentissimis, alvi adstrictione, & non rarò quoque doloribus valde atrocibus, imò morte repentina. Hæc intestinorum Atonia provenit primò à Nervis intestinorum, si non in totum, saltem ex parte obstructis: unde otiantur intestina, & præsertim tenuia, imò motu peristaltico naturali destituuntur, utpote spiritibus animalibus deficientibus. Secundò, eadem oritur ab obstructione intestinorum, quam vel excrementa indurata vel deglutita ossa, similiaque solida alia inferunt. Tertiò, susceptio seu ingressus intestini (Belgicè *een ineenschieting*) subinde affectum istum gignit, sive ingressus iste ortum ducat à motu peristaltico præpostero, sive à motibus convulsivis, imò à nimia dila-







Fig. 73.




Fig. 74.

dilatatione particulæ intestini, aut ab ejusdem nimia constrictione; unde pars magis ampla partem arctiorem in sese recipere apta redditur, in hoc vel illo intestinorum motu. Quartò, hujus mali causam invenio contractionem & coarctationem esse intestini, quod aliquoties adeò contractum reperi, ut vix minimum digitum admitteret, neque deglutita nec flatus penetrare sineret. Vide Fig. 73. Quintò ab hernia intestinali idem affectus sæpissime provenit. Et demum Sextò, inflammationem quoque intestinorum ad causarum seriem referre oportet. A Nervis intestinorum obstructis ortum habuisse hunc affectum in uxore cujusdam Viri Docti, (quæ nuper in totalem alvi adstrictionem & vomitum continuum sine notabili dolore, sine febris inciderat, unde mors subitò sequebatur) nullus dubito. Quod intestina à functione sua quoque desistant, simul ac vel ab excrementis induratis, vel deglutitis ossibus, aliisque similibus solidis intus obturata sunt, in cadaveribus me bis animadvertisse memini. Tertiò, hoc malum à susceptione seu ingressu intestini unius in aliud provenire, non est dubitandum, imò bis publicè idem demonstravi (Vid. Fig. 74.) in intestinis filii cujusdam Pistoris, ut & alius cujusdam hospitis, à me exemptis & dissectis; qui, dum viverent, multis malis fuerant correpti, sed præsertim ventris doloribus, idque horâ unâ atque alterâ post pastum. Tertium exemplum hujus affectus conspexi in cadavere à me dissecto, præsentente Joachimo Schradero Chirurgo satis perito. Dixi quoque hujus mali causam esse intestinorum coarctationem, Vid. Figur. 73. In cadaverum nempe apertione aliquoties observavi intestina ita coarctata, ut ne minimum quidem digitum admitterent. Si igitur in hoc casu excrementa paululum indurentur, aut si flatibus transitus denegetur, quid mirum, homines subitò ex intolerabili dolore & inflammatione interire?

Figur. 73. & 74. Expositio.

A A. Intestini jejuni portio, cujus medium

a. Valdè est coarctatum aut contractum.

B. Pars ejusdem intestini, in cujus medio bb. susceptio comparet.

OBSERVATIO XCII.

Enormis intestini Coli dilatatio.

PUella quinque annos nata, jam à longo tempore conqueratur de torminibus ventris. Quæ dolores leniendi, flatus discutiendi, vermesque necandi vim obtinent, aliquoties adhibebantur, at incassum omnia; unde perseverantibus doloribus tandem ex hac vita migrabat. Aperto cadaverculo, præter eam intestini coli partem, quæ rectum nominari incipit, vix ullum (mirum dictu!) abdominis viscus conspiciere potui, idque propter enormem extensionem in dicta intestini coli parte, sub qua cætera latitabant viscera.

OBSERVATIO XCIII.

Uteri motus imaginarius, & verus.

AN uterus in foeminis extra puerperii statum locali motu nunc sursum nunc deorsum moveatur (uti non pauci voluere Authores) examini hîc subicere, extra rhombum meum foret, qui non solum brevitati studeo, verùm etiam ea solummodo, quæ ipsemet sum expertus, tibi, benevole Lector, communicare allaboro. In transitu tamen hoc assevero, me satis mirari non posse eos, qui tantum utero adscripserunt motum, ut ipsum diaphragma ab eodem sursum propelli: imò eundem fauces ipsas invadere crediderint. Alii sibi persuaserunt uterum resiccatum ad præcordia ascendere, ut humectaretur, dicentes hepar gratiosi vaporis fontem esse, & uterum eapropter ad hepar ascendere, ut è fonte isto hauriret. Relictis nugis istis propria absurditate corruentibus, certo certius esse autumo, Uterum sese summopere movere in partu, omnesque partûs conatus naturales ab utero fere pendere. Qui conatus post partum non rarò adeò vehementer perseverant, ut uterus semet ipsum invertens è corpore procidat. In aliis puerperis paucis horis à partu expertus sum uteri motum adeò fuisse evidentem, ut Obstetrices, imò & Puerperæ sæpius mihi dixerint, alterum adhuc restare in utero

tero foetum. In hoc casu meam ipse manum ventri applicui, motumque adeo notabilem reperi, ut manus tanquam à foetu propelleretur: imò aliquando ità sese elevebat uterus in hoc vel illo latere, ut extra corpus prominere, idque tali duritie & tumore, ut non valde ea in re exercitatus pro certo dixisset, se caput infantis sentire; quos tamen motus mox in contrario latere sensi. Nunc videbar mihi genu, nunc genas sentire, sicut in gravidis cum partus tempus instat: Postquam verò manum utero inserui, non foetum, sed uterum esse animadverti.

OBSERVATIO XCIV.

Prodigiosa Ureteris, integram puris pintam continentis, dilatatio.

NIl magis admiratione dignum crediderim, quàm vasa membranacea, quò magis distenduntur, eò magis sæpe ab humore heterogeneo incrassari. In arteriis hoc evidenter demonstravi Observatione 37. & 38. & in ureteribus hoc quoque locum habere videtis Fig. 75. Ureteres aliquando ita esse dilatatos, ut digitum admittant, rarum non est. Rarissimum tamen, & inauditum, ureterem pintam materiæ purulentæ continuisse; magisque adhuc mirum est, itidem püs exitum quæsisisse per annexas fibras, ut mox referam. Anno 1673. præsentibus Dom. Doctore van Tongeren & Chirurgo van Ulsen, cadaver cujusdam mulieris aperui, quæ à longo tempore tantis torminibus & cruciatibus tam immanibus vexata fuerat, præsertim quum purulentam redderet urinam; ut multoties mortem appeteret, antequam vitæ finem inveniret. Renis dextri superficies admodum erat inæqualis, Afelli majoris lactes (Belg. *Hom van een Cabeljauw*) referens: In Ureteris dextri infima parte supra insertionem in vesicam calculus hærebat nucis avellanæ magnitudine. Vide Fig. 75. In interiori ureteris parte offendebam filamenta membranosa transversim posita. Pars media dicti ureteris ita erat extensa, ut pintam ad minimum contineret. Ex hoc tumefacto & materiâ purulentâ repleto uretere, vidimus innumerabilia vascula alba, turgida, & fetam tenuem cassâ, ver-

fus hypochondrium sinistrum tendere. Ubinam terminarent, fat accuratè (exoptatâ ulterius scrutandi commoditate à morosis Consanguineis denegatâ) investigare minimè licuit. Hæc vascula neutiquam venæ lacteæ, multò minus sanguineæ erant. Cum vasis lymphaticis nullo modo quoque conveniebant. Peculiare vasorum genus, imò quasdam fibras (non novas, sed eas, quæ membranas constituunt, quarum beneficio lumbis alligantur ureteres) fuisse crediderim, quas cavas semper esse, existimo. Atque ex hac & similibus observationibus forsan nascetur ansa exactiùs determinandi vias illas, de quibus hæctenus per incertas conjecturas in Anatomicorum Republica fuit strepitus.

Figur. 75. Expositio.

A. A. Media pars ureteris dextri pure repleti.

B. Calculus in infimâ parte dilatati ureteris hærens.

C. Vasa Sanguinea per ureterem dispersa.

c. c. c. c. c. Vascula per contentum niveo colore tincta, & versus hypochondrium sinistrum repentia.

OBSERVATIO XCV.

Post Dysuriam Scirrhusa Intestini Recti incrassatio & mira coarctatio.

Quid grandia molimur tenues & miseri mortales! qui tot lethalibus morbis sumus obnoxii, ut nemo facilè illos recensere possit. Nullibi tamen homines magis affligunt quàm circa vias excretioni inservientes; ubi, si altiores egerint radices, difficillimè possunt eradicari. Quotidie ad vitam sustentandam nobis edendum, bibendum, &, quod superfluum est, evacuandum. Si verò viæ, hisce operibus destinatae malè sint affectæ, mors vitæ sæpius anteponitur afflictis. Amicus quidam in flore ætatis, temperamento melancholico, antè triennium in Hyberniam ob negotia peragenda profectus, de mingendi difficultate conqueri cœpit, quæ brevi tantum sumpsit incrementum, ut assiduè ad urinam guttatim egerendam incitaretur, idque tanto cum cruciatu,

&

Fig. 75.



& continuo conatu, ut perferre non potuerit. Quid fit? Brevi post, alterum non minoris momenti malum, caput quoque exerere cœpit; nimirum fœces alvinas liberaliter excernendi impotentia, dubio procul ab illis continuis conatibus urinam reddendi, unde intestinum rectum non solum fuit incrassatum, & scirrhosum factum, verum etiam in totum fere coaluit: vix enim, ac ne vix quidem stilum straminis crassitie in universum admittebat, unde miser nec urinam nec fœces alvinas excernere potuit, nisi guttatim, & quidem continuè ichorosâ & purulentâ materiâ remixtas, cum assiduis, tantisque cruciatibus, ut omnes homines ejus præsentiam refugerent. Denique in patriam redux, contulit sese Amstelodamum, & me aliosque consuluit, aſt incassum, morbis factis insanabilibus. Hisce malis perpetim incrementa fumentibus, tandem animam Deo reddidit æger, occasionem nobis relinquens malum penitus perscrutandi. Aperto igitur cadavere, in utraque renum pelvi Calculum inveni horrendum, & præter hosce in renis dextri medio adhuc alium ingentem. Ureteres & vesica benè erant constituta. Intestinum rectum in universum ita incrassatum deprehendi, ut pollicis crassitiem ferè superaret, & ita induratum, ut anceps hærerem, an carnosum an verò cartilagosum esset dicendum. Cavitas quoque dicti intestini straminis latitudinem haud superabat, & quod notandum, tam firmiter erat connatum ossi sacro, ut cultelli cuspis ad separationem minimè sufficeret, sed cuneo ferreo malleoque ligneo eandem peragere coactus fuërim; imò, mirum dictu! cum summo labore ea disjunxi. Hæc omnia Balsamo nostro præparata à nobis reservantur in dicti ægri memoriam, & historiæ raritatem.

OBSERVATIO XCVI.

Similis Recti intestini Incrassatio.

EX eodem affectu supracitato, puta Intestini Recti incrassatione & scirrhositate, nuper hic Amstelodami quoque denatus est Dominus, qui à longo tempore iisdem cruciatibus & conatibus fœces alvinas expellendi fuerat vexatus. In eo tamen dictum intestinum non adeò erat coar-

ctatum, quin minimum digitum fortiter adigendo intudere poterimus. Hunc affectum, quia rarò obvenit & paucis innotuit, alio atque alio modo conati sunt curare. Inter eos non deerant, qui hæmorrhoides esse credebant, perque incisiones auferendas statuebant, quod etiam incassum tentatum fuit. Ego, qui huic ægro semel atque iterum tantùm adfueram, Intestini Recti scirrhotatam esse judicabam, quod eventus quoque edocuit; quia tamen ipse æger ad incisionem instituendam valdè erat proclivis, & ferò eandem urgebat, calculum quoque apposui, ast omnia sine successu; obiit enim aliquot post septimanis. In tali casu tamen, cura palliativa foret anteferenda, emollientibus scilicet, & dolorem lenientibus enematis; magna enim remedia magnas sæpè inferunt noxas, dùm leniora nullas gignunt, & intereà afflictos demulcent, & dulci iisdem sunt solatio.

OBSERVATIO XCVII.

Placentæ extractio à peculiari funiculi in eandem insertionis modo redditur difficilis.

Obstetrices non rarò cum anxia sollicitudine in placentis, post foetum in lucem editum, extrahendis occupari, mirum quidem videtur negotii istius ignaris: ast verò si res penitus investigaretur, nemini admirationi foret: sæpius enim in earum potestate non est, placentam ex voto arreptam educere. Ecquid verò in causa sit, hæcenus à nemine satis perspectum reperi. Nonnulli autumant, placentam nimis arctè utero adhærere, propter firmiorem coalitionem vasorum uteri cum vasis placentæ, in quo tamen eos falli crediderim. Alii in placentæ putrefactione, & substantiæ ejus laxitate, imò & in ore uteri nimis stricte occluso causam difficilis istius extractionis consistere statuunt. Nemo verò, quod sciam, mentionem facit ejus, quod omnium maximi hîc est momenti, nimirum funiculi centralis insertio in placentam: scilicet quando præcisè in centrum placentæ idem inseritur, ut plurimum difficillimè abscedit; non rarò enim coguntur Obstetrices placentas ita constitutas digito indice lædere ut abscedant, Vid. Fig. 1. sequentis Catalogi. Si verò in hoc vel illud latus implantetur, facili negotio, & quidem sua sponte, sequi-

sequitur foetum in lucem prodeuntem. Eadem hujus est ratio, quæ corii in orbem scissi cum adhærente in sui centro funiculo; hoc namque corio madefacto, & lapidi etiam ponderosa applicito, idem levi operâ è terra evelli potest: si verò lateraliter affigatur funiculus, irritum erit opus.

OBSERVATIO XCVIII.

Hernia Cystica, cui ex terrore juncta Bubonocele.

Herniam magis esse extensionem, aut expansionem peritonæi, quàm rupturam, aut dilacerationem ejus, haud dubito, quin inter Medicorum filios satis constet. Hic affectus nomen mutuatur à contento: sic Hernia dicitur intestinalis, ab intestino in ea contento, & omentalis ab omento, &c. Non minus etiam, quum vesica urinaria prolabitur in scrotum, Hernia cystica dicenda foret, qualis mihi bis occurrit cum Andrea Boekelmanno Chirurgo expertissimo. Amplifsimus vir Dom. N.N. Mercator Amstelodamensis, ab aliquot annis in tantam mingendi difficultatem incidit, ut urinam reddere nequiverit, nisi manu scrotum elevando comprimeret. Reticuit hoc malum tam diu, donec simul, mirum dictu! in Bubonocelen solo terrore incideret: Dolium enim ingens vini deimprovviso rumpebatur in ejus Cella, unde ita obstupuit præsens, ut illicò in bubonocelen incideret. Id quod semel mihi adhuc observare contigit in alio, qui solo terrore subito herniosus factus erat, retulitque mihi supracitatus Chirurgus in herniis sanandis versatissimus, sese hoc quoque pluries observasse. Hæc igitur Bubonocele coëgit ægrum aliorum manus auxiliares implorare; Vocabar ergo cum D. Bellangerio, Medicinæ Doctore eximio, Andrea Boekelmanno, Petro la Nou, & Petro Adriani filio, Chirurgis dexterimis. Verumenimverò Bubonocele tam arctè comprimebatur à tendinibus muscutorum adfatis, ut nullus nostrum ægro opitulari potuerit, ita ut brevi diem suum obiret. Multiplicis hujus herniæ apertionem concesserunt nobis consanguinei, in qua notavimus, bubonocele dissectâ, intestini Ilei portionem inflammata, & gangrænâ (ut sæpius contingit) obfessam, aperturamque (ut vulgò loquuntur) vel potius dilata-

tationem adeò exilem aut arctam circa tendines musculorum abdominis, ut digitus pertransire vix potuerit; unde dicti intestini portio reponi neutiquam potuit. In Scroto posthac totam Vesicam urinariam prolapsam offendimus.

OBSERVATIO XCIX.

Renum & Ureterum Ovillorum mirabilis expansio.

Vesicam Urinariam ob perpetim affluens lotium sæpius in magnam molem crescere, mirum non est: utpote quæ propter substantiam membranaceam serum continuè appellens promptè imbibit, eodemque accumulato, admodum extenditur. Verumenimverò ipsos renes ab impedito urinæ exitu in immensam adeò molem sese expandere, ut vesicæ urinariæ instar sese nobis exhibeant, omnium expectationem superat, & nullius non admirationem meretur. Ante duos circiter annos Chirurgus diligentissimus & rerum Anatomicarum amans, Vogelefangh, ad dissectionem duos nobis attulit Renes Ovillos, ita extensos, & humore aquoso repletos, ut duas ferè pintas uterque contineret. Ureteres admodum tortuosi & tantæ erant capacitatis, ut radicem majorem pastinacæ admitterent. Utraque renum tumentium extremitas substantiam naturalem glandulosam non amiserat, spatium verò intermedium constabat ex membrana. Intrinsecè tubuli pelvis cellulas magnas repræsentabant, tantæ capacitatis, ut nucem juglandem viridi cortice obductam admitterent. Urinam in Vesica Urinaria contentam facili negotio exprimebam versus ureteres & renes, verumenimverò ab ureteribus & renibus versus vesicam non nisi vi adhibitâ, idque parcissimè per exiguum foraminulum in medio cujusdam clausuræ membranacæ, quam vesicam inter & ureteres inveniebam. Talis, inquam, erant constitutionis dicta foraminula, ut è vesica urinaria versus ureteres & renes satis liber esset urinæ transitus, contraria verò compressio ab ureteribus & renibus versus vesicam maxima ex parte erat frustranea, unde dubio procul oborta fuit urinæ regurgitatio, & temporis progressu talis renum & ureterum expansio. Hosce renes cum annexis ureteribus & portione vesicæ in Musæo nostro reservamus:

mus: ita ut de rei veritate non sit dubitandum, sed cuilibet, occasione datâ, liberum, insolitam hanc partium Urinariarum difformitatem apud me contemplari.

OBSERVATIO C.

Glandis in Pene vera structura noviter detecta.

INter omnes, qui hætenus descriptionem Penis nobis dedere, Authores, haud infimum locum occupat Anatomicus oculatissimus, mihiq; dum viveret, peculiari amicitia junctus, Regnerus de Graaf; qui tamen hoc argumentum non omnimodè absolvit, sed nonnulla ulterius ab aliis investiganda posteritati reliquit: imò quoad glandem penis superficiariè rem egisse, & solùm in opinionibus aliorum acquievise videtur; ceu patet in Tractatu ejus de *Virorum Organis generationi inservientibus*, ubi fol. mihi 139. hæc reperiuntur verba: *Duobus corporibus nervosis & urethra jam descriptis, in anteriori quasi parte apponitur substantia quædam reliquis penis partibus carnosior apparens, quæ apud Anatomicos Glans, Balanus, & à similitudine Cerasum quandoque nominatur.* Non solùm autem hæc Anatomicus, verùm etiam omnes alii tam Veteres quam Neoterici hanc penis partem sicco quasi pede transeunt; quantumvis in Chirurgia maximi sit momenti, hanc partem benè nosse, ut postea patebit.

Johannes van Horne b. m. Promotor olim meus, in *Microcosmi* descriptione pag. mihi 149. hunc in modum de glande penis loquitur. *Hiscæ (est illi fermo de corporibus nervosis) impositum est caput, quod à similitudine glans dicitur, carne constans molli & flaccida, sensus exquisitissimi, præsertim ubi turget.*

Veslingius glandem penis ex substantia carnosa, molli spongiosaque conflari autumat, & præterea de ea nil refert.

Blasius in *Veslingium*: *Glans hæc extremitati imponitur, ut caput cervici; parte enim sui inferiore & quasi basi aliquantulum penem suo ambitu excedit, in superiore verò leviter in mucronem obtusorem desinit.* Hæc ille.

Bartholomæus Cabrolus carnem esse diversam à carne musculo-
losa & glandulosa fatetur in sua *Dissectione Anatomica Corporis*
humani.

Thomas Bartholinus in sua Anatome Glandem Penis carnem esse similiter profitetur, non mollem & flaccidam, ut *Joh. van Horne*, sed fenfilem magis & solidiorem, quàm in reliquo pene est.

Vesalius de humani corporis Fabrica, pag. mihi 649. Quum autem ad eam usque penis regionem perrepsere (loquitur de corporibus nervosis) in qua jam glandem efformatura sunt, in acutum feruntur & carnosam glandis substantia ipsis obnascitur. Hæc ille.

Adriani Spigelii verba sunt: Glans ultima pars penis, est duobus corporibus nervosis obnata, quæ nonnihil ambitu quoque excedit, cum coronæ modo circulo cingatur; antè tamen acuta est, exquisitum habet sensum, substantiamque spongiosam, ut penis, sed solidiorem.

In *Realdo Columbo* haud infimæ notæ Anatomico, ubi de glande penis agit, hæc solummodo extant: Deinde deorsum versus inflectuntur (ligamenta, seu corpora nervosa penis) & ad glandis fines implantantur, quæ glans reliquis penis partibus minus dura existit.

Ecce varias primi subsellii Anatomicorum de Glandis in pene structurâ opiniones! quas siquidem cum genuinâ istius particulæ descriptione mox secuturâ studiosè conferre volueris, actutum animadvertes, neminem istorum Heroûm in præsentî negotio rem acu tetigisse. Hoc enim asseverare ausim, ne ullum quidem (quod sciam) glandem penis talem, qualis revera est, antehâc observasse; Nec mirum; cum adeò difficilis sit perscrutationis: Cultellus certè Anatomicus haud sufficit, imò planè inutilis est huic detectioni. Siphon quo utimur ad vasa infarcienda, vix quoque huic rei aptus est; quamvis ipse ansam mihi dederit hujus partis veram compagem conspiciendi, quæ in hunc usque diem in tenebris latuit. Postquàm igitur integrum penem, cruore omni exhausto, materiâ ceraceâ replevi, glandemque postea in lamellas transversas dissecui, reperi eandem materiâ dictâ esse infarctam, id quod mihi ansam præbuit suspicandi Glandem penis haud esse substantiæ carnosæ: proinde, ut quid hîc veri subesset clariùs elicerem, ad experimenta confugiebam. Scilicet primò, sanguine è pene expresso & aquâ siphonis beneficio eluto, corpora nerveo-spongiosa crassiora, ab aliis corpora nervosa penis, imò ligamenta penis dicta, flatu replevi,

plevi, & vinculo injecto arctissimè ligavi, sperans fore, ut post exsiccationem mihi pateret, qualis esset vera hujus glandis constitutio. Ast incassum. Hoc enim experimento in conspectum quidem venit vera substantia dictorum corporum, ut & glandis interior, neutiquam verò exterior. Eâ enim inflatione intumuit & induruit quidem interior Glandis pars, flaccida tamen mansit pars Glandis exterior. Vid. fig. 75.

Hiscè visis tubulum circa penis radicem indidi corpori nerveo-spongioso tenuiori Urethræ, ab aliis Corpus Spongiosum Urethræ dicto, ac tum flatu adactò intumuit simul cum eo pars glandis exterior, interior verò neutiquam, sed flacciditatem retinuit. Hoc animadverso, credere cœpi, corpus (vel, ut alii volunt, corpora; duo enim esse autumant Anatomici) nerveo-spongiosum crassius & maius à corpore nerveo-spongioso tenuiore & minore esse diversum; & hoc cogitans tertium & ultimum experimentum institui, quod omnibus modis expectationi meæ satisfecit. Per tubulum nempe æneum circa penis radicem, ubi ad ossa pubis proximè accedit, insertum corpus nerveo-spongiosum majus & crassius flatu extendi, & post repletionem digitis tam diu penem detinui, donec eodem tubulo, è dicto corpore extracto, & corpori nerveo-spongioso minori & tenuiori indito, idem corpus flatu quoque replevissem; quo factò, totum deinde penem ligavi & exsiccavi: at verò quàm difficile sit flatum in dictis corporibus continere, usque dum omnia exsiccata sint, palam fiet iis, qui in posterum idem experiri ac imitari volent. Post exsiccationem, penem & glandem ejus in lamellas dissecai, (Vid. figuras 76, 77, 78, 79 & 80.) & reperi penis glandem nil aliud esse quàm veram continuationem tam corporis nerveo-spongiosi majoris & crassioris, maximam penis partem constituentis, quàm minoris & tenuioris Urethræ, maximam & præsertim inferiorem ejus partem ambientis, sine ulla substantiæ mutatione.

Hæc autem corpora nerveo-spongiosa ita sunt constituta & posita, ut crassius & majus interiorem glandis partem constituat, minus & tenuius exteriorem, quam undiquaque ambit. Vid. fig. 81. & 82. Hæc duo corpora, nempe crassum & tenue, à se invicem sunt separata septi intemedii beneficio, (vid. fig. 81. & 82 *) ita ut flatus per tubulum adactus ex uno corpore in aliud rarò perveniat; rarò inquam, quia semel atque ite-

rum tantum me illud observasse memini: & quantumvis Regnerus de Graaf statuat, inflatis corporibus nervosis (nobis nerveo-spongiosis majoribus & crassioribus) spongiosam Urethrae substantiam (nobis nerveo-spongiosum minus & tenuius,) etiam intumescere; & vice versa, (unde quoque deduxit notabile commercium eorum corporum inter se) nos tamen contrarium experimur; & frequentissima penum dissectio me edocuit, perquam raro illud contingere, nisi supra memoratum septum fuerit laesum; vel etiam per commercium vasorum sanguineorum, quod notabile est. Si enim corpus nerveo-spongiosum majus & crassius inflatur, ut plurimum simul quoque inflantur venae per penis dorsum repentes, (vid. fig. 75. quae faciem exteriorem penis cum vasis sanguineis per dorsum repentibus demonstrat) quarum ramuli corporibus nerveo-spongiosis etiam inserviunt, & sic aliquando fieri potest, quod statuit supracitatus Anatomicus dexterrimus. Porro etiam male observavit idem Regnerus de Graaf spongiosam Urethrae partem (nobis corpus nerveo-spongiosum minus & tenue) sensim glandi appropinquantem magis ac magis attenuari gracilioremque reddi, tandemque in glande obliterari; potius enim dictum corpus in glandis extremo maximum & crassissimum existat, imò totam partem glandis exteriorem conficit. Vid. fig. 76, 77, 78, 79. & 80. & è contrà, quò magis corpus nerveo-spongiosum majus & crassius glandis partem extremam attingit, eò gracilius evadit, neque glandis extremum assequitur. Vid. figuras mox recitatas.

Hisce probè animadversis ulterius inquirendum est, quid boni hæc observatio in Praxi Medica præstet.

I. Quia hæctenus noto notius videbatur, Glandem nîl aliud quàm carnosam & fungosam esse substantiam, penique adnatam, hinc nequidem per somnium in ullius Anatomici mentem irrepsit, Glandem penis solùm esse continuationem (prout revera est) omnium corporum nerveo-spongiosorum, sine ulla mutatione substantiæ; Et eapropter plerique minus solliciti fuere de immodica hujus partis à continui solutionibus metuenda hæmorrhagia. Quam verò periculosum sit glandi vulnus infligere, aut exulcerationem in ea nasci (præsertim si profundius penetrent ulcera aut vulnera, & ad corpus nerveo-spongiosum majus & crassius pertingant) norunt ii, qui nobiscum animadverterunt, homines aliquando ex leviori hujus partis vulnere aut ulcere in vitæ discrimen fuisse deductos (vid. Obs. 42.) & præsertim si erigatur membrum virile.

virile ita læsum; unde tanta sanguinis copia non rarò ad glandem confluit, ut vix compesci possit ejusdem eruptio. Itaque cautè agendum, si ulceribus obsessa sit glans, ne intrinsecum lædatur. Læsiones superficiales minùs periculosas esse experti sumus, modò non obsideant medium istius partis in glande, quæ ambitu suo penem excedit, & glandis Corona audit, ubi vasa sanguinea per dorsum penis repentia satis capacia sunt, quæ quocunque modo læsa ingentem sanguinis copiam periculose fundere solent.

II. Si glans ulcere maligno obsessa amputanda sit, vinculum antea injiciendum esse ejus constitutio indicat, ut enormis hæmorrhagia præcaveatur. Vid. Obs. 30.

III. Notandum in Glande, Ulcera ibidem in suprema parte Urethræ periculosiora esse, ob metum majoris hæmorrhagiæ, quàm ea, quæ urethræ imam partem occupant: propterea quod hæc magis sint remota à corpore nerveo-spongioso majori & crassiori, per quod arteriæ multò ampliores disseminantur, & in quod idcirco sanguis majori quantitate irruit, quàm in corpus nerveo-spongiosum minus & tenuius. Credibile quoque est, in illo casu, de quo legitur in supracitato Tractatu Reg. de Graaf pag. mihi 149. læsum fuisse corpus nerveo-spongiosum majus & crassius, quia 14 lb. sanguinis tam brevi temporis spatio vix ac ne vix quidem ex læsione Urethræ aut ejus corporis nerveo-spongiosi tenuioris & minoris potuissent effluere, utpote vasculis sanguineis minimis ibidem existentibus.

IV. Constat glandem rarò in totum posse tendi aut erigi, nisi utrumque corpus nerveo-spongiosum, ut & eorum nervi & vasa arteriosa benè sint constituta. Si verò aliqua hisce partibus accidat obstructio, in totum & æqualiter non eriget sese glans, ut necesse est in coitu. A vasorum arteriosorum laudabili constitutione quoque dependere glandis erectionem dico, circa venosa verò non est cur ita solliciti simus, quandoquidem rarissime ulla in iisdem obstructio reperitur: Sanguis enim per penem & glandem redux, non per minutissimos ramulos neque per corpus reticulare, ut loquitur Malpighius, regreditur, sed per venarum patentia & visibilia oscula, aut foramina. Venæ enim per penem distributæ si non omnes, saltem tot, quot unquam offendi, sunt poris magnis & visibilibus foraminibus pertusæ, cribri instar, quemadmodum quoque in vena splenica vitulina (vid. fig. 83. & 84.) conspicitur, quod nunquam hæctenus observatum esse putem. Ejusmodi vena-

narum perforatio in causa est, quòd sanguis per penem redux citissimè possit à pene regredi, pene momento flaccescente. Certè si penis & glandis ejus Corpora nerveo-spongiosa ut & eorum vasa venosa ritè examinentur, maximè illa cum splenis vitulini substantia ejusque vasis venosis convenire observabuntur, glandulis splenicis benè elotis. Hujus autem glandularum elotionis, & per venas aquæ beneficio educationis, sine ulla tamen membranæ ambientis læsione, primum me inventorem audeo profiteri, qualem etiam me agnovit olim Joh. van Horne Professor Anatomiae dignissimus. Anno scilicet, ni fallor, 1664. nullo Anatomicorum de tali encheiresi cogitante, varios lienes vitulinos præparaveram, quos mox memoratus Celeberrimus Professor dicipulis, imò publicè, cum applausu demonstrabat. Sed hoc obiter. Revertar ad propositum. Istis autem lienis vitulini post inflationem levem exsiccati glandulis eductis, intrinsecum apprimè cum penis intrinseco convenire, palam fiet: id quod corpus nerveo-spongiosum majus & minus à nobis in pene & glande ejus dicitur, illud in splene vitulino per fibras nervosas designatur: quæ fibræ in liene ovillo non ita copiosæ existunt, in humano verò earum nullas invenio; quantumvis Sylvius contrarium statuerit, & hypotheses non usquequaque congruas inde stabilire allaboraverit. Interim non solùm ratione substantiæ fibrosæ, aut nerveo-spongiosæ conveniunt penis humanus & lien vitulinus, verùm etiam respectu venarum, quæ eodem ferè modo pertusæ sunt. Quod si Authores, qui penis vasa depinxerunt, imò descripserunt, pervolvantur, apparebit quàm pauci sint circa venas internas, per dicta corpora distributas, imò sicco quasi pede eas transeunt, & nonnulli in totum eas extare negant; & quid mirum? difficillimè enim in conspectum producantur.

Thomas Bartholinus inquit, penem habere arterias, venas, & nervos; venasque per penis partem exteriorem & interiorem distribui asserit; prætereaque nihil.

Regnerus de Graaf de dictis venis internis nil nobis commemoravit, ubi Penis Vasa describit.

Vesalius hisce verbis liberè fatetur sese harum venarum distributionem per penis intrinsecam substantiam nunquam vidisse, & quamquam, ait, hæc Vasa (loquitur de venis & arteriis) ad penis corpora pertingant, vix tamen sectione assequor, quo itinere in corporum cavitatem inserantur. Si causam hujus difficultatis per-




Fig. 80.




Fig. 79.




Fig. 78. C




Fig. 77. B.




Fig. 16




Fig. 84.



Fig. 83.




Fig. 82.





Fig. 81. A



perscrutemur, facile inveniemus eam. Unica tantum methodus, qua dilucidari possunt hæ venæ internæ, mihi constat, idque solâ penis inflatione & exsiccatione, post sanguinis elotionem. In illa inflatione simul inflantur venæ non solum per penis superficiem, verum etiam internæ, cribri ferè in modum pertusæ, quæ post exsiccationem cultello Anatomico examinari possunt; Vid. fig. 84. Lit. C. & si quis alio modo hæc perscrutetur, oleum & operam perditurus est. Ratio est, quia substantia venæ internæ propter porositatem confunditur facillimè cum penis substantia intrinseca porosissima.

Figur. 75. Expositio.

- A. *Penis Virilis inflatus, exsiccatus, & in duas partes secundum longitudinem divisus, ut intrinseca conspicerentur.*
 a. a. a. *Arteria per substantiam nerveo-spongiosam dispersa.*
 B. *Pars Glandis exterior non inflata, quapropter in exsiccatione omnem spongiositatem amisit, unde membranam crassam repræsentat.*
 b. b. *Pars Glandis interior inflata, quæ pars & vera continuatio est corporis nerveo-spongiosi majoris & crassioris.*
 C. *Meatus Urinarius.*

Fig. 76, 77, 78, 79, & 80. Explicatio.

- A. *Taleolus s. portio Glandis penis, quæ Corona audit, & proximè sita est in loco, ubi præputium peni adnascitur.*
 a. a. *Dicti taleoli pars exterior, quæ continuatio est corporis nerveo-spongiosi tenuioris urethram ex parte ambientis, quæ tanti non est momenti, quanti quidem in sequenti fig. B.*
 b. *Pars dicti taleoli interior, quæ continuatio est corporis nerveo-spongiosi crassioris & majoris.*
 B. *Sequens portio s. Taleolus glandis penis.*
 a. a. *Dicti taleoli pars exterior, quæ respectu prioris taleoli major.*
 b. *Ejusdem pars interior, quæ respectu prioris minor.*
 C. D. E. *Ejusdem glandis taleolos demonstrat, qui successive diminuti, internæ substantiæ diversitatem indignant.*

Figur. 81. Dilucidatio.

- A. *Penis inflatus, exsiccatus, & secundum longitudinem divisus, ut intrinseca facies appareret.*
- B. *Exterior glandis pars nerveo-spongiosa, quæ tenuioris & subtilioris est texture aut substantiæ.*
- C. *Interior glandis pars nerveo-spongiosa crassioris est texture aut substantiæ.*
- D. *Nerveo-spongiosa pars Urethræ.*
- E. *Urethra.*
- F. *Arteriæ per penis interiora distributio.*

Figura 82.

Solius Glandis abscissæ intrinsecam faciem exhibet.

Fig. 83. & 84. Expositio.

- A. *Portio Venæ splenicæ vitulinæ secundum longitudinem dissecta, ut perforationes ejus videri possent: quæ vena cribri instar perforata per Lienem diffeminatur, & non statim obliteratur, ubi lienem intraverit, uti Highmorus & alii voluere.*
- B.B. *Ejusdem abscissi rami.*
- C. *Portio Venæ per corpora nerveo-spongiosa distributæ, secundum longitudinem dissecta.*

F I N I S.

MUSÆUM ANATOMICUM
RUYSCHIANUM,
S I V E
CATALOGUS
RARIORUM,

Quæ in Authoris ædibus asservantur;
adornatus ab eodem

FREDERICO RUYSCH,

M. D. Anatomes, Chirurgiæ ac Botanices Professore

A M S T E L O D A M I

Adduntur Variæ Illustrationes, ut & Icones æneæ.



A M S T E L O D A M I,

Apud J A N S S O N I O - W A E S B E R G I O S.

M. D. C. C. X X I.

MUSEUM HISTORICUM
MUSEUM HISTORICUM
CATALOGUS
RARIORUM

FRANCISCO RUYCH
FRANCISCO RUYCH
FRANCISCO RUYCH



FRANCISCO RUYCH
FRANCISCO RUYCH
FRANCISCO RUYCH

Nobilissimo & Amplissimo Viro

D^o. JOANNI COMMELINO

Reipublicæ Amstelodamensis Senatori gravissimo, Fau-
tori & Amico longè honoratissimo,

Omnia fausta precatur

FREDERICUS RUYSCH.

Nobilissime & Amplissime Vir,



BT singularis Tua Rerum quarumvis Natura-
lium peritia, & imprimis quoque Tua erga
me mihi perspectissima benevolentia meritò an-
sam mihi suggerunt, hanc Cimeliarchii mei
Descriptionem Amplissimo mihi que Carissimo
Nomini Tuo consecrandi: tum ut extet mo-
numentum aliquod veteris jam à viginti & ultra annis cultæ
amicitiæ nostræ, tum ut pagina ipsæ hoc nomine publico
fiant commendatiores. Profecto sive quærendus erat Fautor
de me benè meritus, cui hæ chartæ inscriberentur, neminem
conspiciebam cui plus deberem; sive deligendus Judex, qui
de his & similibus existimare unus omnium optimè posset,
nullum reperire poteram, cui justius eædem dedicarentur
quàm Tibi, *Vir Nobilissime*. Quapropter & spontè quasi suâ
ad Te solùm tendunt, idque ex occulto grati animi sensu; imò
ob insignia Tua erga me & (si hoc addere fas est) Filium
quoque meum merita assiduè impellor ad eorundem publicum
elogium. Haud enim satis Tibi fuit tot favoris & sinceri
affectus indicia in me conferre, quin insuper benignitatem
Tuam ad istum natu majorem Filium meum extendere quo-
que Tibi placuit; quam ipse adhuc nuper (ut alia nunc non
commemorem) in Musæoli sui extruptione abundè est exper-
tus,

tus; dum istud variis exoticis, ex utraque India allatis Seminibus liberaliter augere atque ornare voluisti. Dabit ipse mecum operam, ut hæc gratissima dona, non sint incassum à Te seminata; potius gratiarum cùm flores tùm fructus quolibet occasione Tibi referre allaborabit. Interim hunc, quem Tibi offero, Rariorum Catalogum, benigna fronte acceptes, & conatus meos æqui bonique consulas, velim, neque eundem ex sua magnitudine suoque pretio, at solùm ex meo Tibi observantiam meam testandi desiderio ponderes. Deus Opt. Max. Te, *Nobilissime Vir*, diu servet incolumem, omneque felicitatis genus in te, Tuosque clementer effundat. Amstelod. 9 Martii clō lō c xc.



MUSÆUM ANATOMICUM
 RUYSCHIANUM,

SIVE

CATALOGUS
 RARIORUM,

Quæ in Musæo Authoris asservantur.

TUMBA ERECTA VARIIS SCELETIS, &c.
 INSTRUCTA.

Nº. I. In arce hujus Tumbæ collocatum Caput osseum nuper nati, cum hac inscriptione:

Nullum sæva Caput Proserpina fugit.

In hoc Capite sequentia notatu digna.

1. Offa syncipitis, occipitis, & frontis, ubi primò osseam induunt naturam, nempe in sui medio, secundùm proportionem magis quàm in adultis prominent, suntque ibidem loci multò solidiora.
2. Ex hac parte duriore, tanquam centro ossificationis, innumerabiles striæ osseæ videntur protractæ, quod in initio ossificationis semper locum habere reperio.
3. Annulus osseus ab ossis petrosi infima parte adhuc separatus est, in superiore verò jungitur Ossi temporum per symphysin sine medio.
4. Ossicula auditus in suo naturali situ, quæ demptâ in utroque latere membranâ Tympani luculenter apparent. Eadem

dem Officula in recenter natis haud minora esse quàm in adultis, hic observabile.

5. Notabilis separatio aut distinctio inter os squammosum & Lapidosum, quæ in foetu solâ cohærent membranulâ.
6. Dentium in tenella illa ætate constitutio, qui quantumvis imperfecti, osseam tamen jam nacti sunt firmitudinem.
7. Os occipitis è quatuor partibus manifestissimè coagmentatum. Harum partium maximam tribus rimis sibi invicem oppositis gaudere, luce meridiana clariùs constat.

Nº. II. Sub eo Capite, aliud exiguum Embryonis abortivi quatuor mensium, Caput osseum exhibetur;

In quo observandum supra dictas strias clariùs adhuc posse cerni.

Nº. III. Sequitur Sceleton pueri tres circiter annos nati, dextrâ Psittaci sceleton tenens.

Volat irrevocabile Tempus.

In hoc pueri Sceletone observanda sunt,

1. Cranium in Bregmate esse clausum, fontanellâ jam oblitteratâ.
2. Dens molaris quartus in maxillæ superioris utroque latere, exitum sibi quærens, ante tertium ipsam maxillam perforat.
3. Spina Ossis Ilii cartilaginosa, qualis non solum in hoc sceletono, verum etiam in omnibus junioribus existit; quod si non benè observetur in sceletopœia, facilè spina isthæc cartilaginea amittitur.
4. Os Ilium utrumque è tribus partibus constans, prout semper in junioribus.
5. Patellæ in totum cartilagineæ.

Nº. IV. A dextra Sceleti memorati aliud sex septimanas nati Sceleton humanum conspicitur vexillum dextrâ gerens.

Frustra cruento Marte carebimus.

In Eo memorabilia occurrunt sequentia.

1. Inferior pars ossium pubis cartilaginea, superior verò jam ossea.
2. Omnes epiphyfes, non solùm veræ (sic puto omnes processus articulatorios, qui veræ parti ossis adnascuntur, vocandos esse) verùm etiam omnia carpi & tarfi ossicula merè adhuc cartilaginea sunt; utroque osse calcis excepto, in quo osseum quid apparet.
3. Dentes incisorii, qui eruptione alios ut plurimum præcedunt, quantumvis crassiori membrana adhuc investiantur, transparent.
4. In Sutura Lambdoidea Ossiculum triangulare, quod in Epilepsia commendant Authores nonnulli.
5. Processus mammillaris in utroque latere adhuc deficit, itaque pro vera Apophysi est habendus, postea enim ex osse temporum erumpit.
6. Processus vertebrarum spinosi, quæ spuria sunt Apophyses, (propterea quod veræ parti ossis, seu corporibus vertebrarum, epiphyseos in modum adnascuntur, & in usu cum apophysibus conveniunt) è cartilagine in hoc, sicut in similibus sceletis, constant. Cautè itaque in sceletopœia tractandi, aliàs enim decidunt.
7. Vertebrae è quatuor partibus constare hoc ætatis tempore, sceleton istud demonstrat.
8. Capitis ossa, secus ac in recens natis, futurarum beneficio jam cohærent.

Nº. V. A sinistra sese offert Sceleton octo menses nati, Lanceam gerens.

Notanda Sequentia.

1. Canalis osseus in osse petroso adhuc deficit, prout in ea ætatula communiter contingit.

2. In

2. In sinistro latere Tympani membrana pellucida, ita ut Auditus officula transparent in suo situ naturali.
3. Cætera conveniunt cum præcedenti.

Nº. VI. A latere sinistro comparet Sceleton Viri adulti manu dextrâ pectori impositâ.

Notanda.

1. Officula lachrymalia nullo modo læsa, quemadmodum frequentissimè accidit in Sceletorum confectioe, propter eorum tenuitatem.
2. Quæ in iisdem officulis reperiuntur foramina communia, transitui ductus lachrymalis destinata, multo capaciora sunt solito.
3. In futura squammosa lateris sinistri varia reperiuntur Officula Wormiana.
4. Spina Ossis Ilii (quæ spuria est Apophysis; quoniam epiphyseos in modum Ossis Ilio adnascitur) ossea facta, notabili linea à vera ossis parte separata est.
5. Ossa pubis à se invicem haud ita dehiscunt in inferiore parte, ac in muliere; unde in viris angustior redditur pelvis, idque non solum in hoc sceleto, verum etiam in omnibus virorum sceletis illud ita sese habet.
6. Os caudæ non ita retro, aut posteriora versus, reflexum est, ac in Mulieribus, sed magis ad ossa pubis accedit.
7. Costas crassiores & rotundiores existere in Viro quàm Muliere, hic quoque apparet.

Inter duo Sceletata minora supra memorata, & Nº. 3. & 4. insignita, jacet cadaverculum Fœtus septem mensium, balsamo per aliquot annos nitidè conservatum, & lapidis instar induratum, cujus dextra flores fugaces, puta rosas, &c. continet, hominis fragilitatem denotantes, cujus symbolum est:

Ipsa dies aperit, conficit ipsa dies.

In hoc Foetus cadaverculo indurato sequentia notanda.

1. Quâ cinctum est caput ; Corona, ex floribus naturalibus est confecta, quorum petala sunt perpetua; illa enim non solum nunquam decidunt, verum etiam naturalem servant colorem; quod à me ita factum puta, ut illa cum subjecto, nunquam corrumpendo, convenirent.
2. Fovea in capitis fontanella, (quod foetibus denatis familiare, signumque est animam reliquisse corpusculum) satis evidens est.
3. Cadaverculum lapideam obtinet duritiem in universum; Visceribus in corpusculo relictis, eandemque duritiem obtinentibus.
4. Color naturalis propemodum adhuc integer.

Nº. VII. Huic foetui Balsamo conservato adstat Sceleton Abortus quadrimestris falce minans ictum; cujus dictum:

Nec parcat imbellis juvencae poplitibus.

In eo Sceletone sequentia memoratu digna.

1. Striarum protractiones in cranio instar aquæ in glaciem degenerantis.
2. Ea pars ossis temporum, quæ os squammosum audit, in sua ossificatione præcedit eam partem, quæ os lapidosum dicitur.
3. Dicti ossis os Orbiculare quarto mense osseam induisse substantiam, hic videmus.
4. Maxilla inferior in tam tenero abortu magis est acuminata in suo medio, quàm in ætate provectiori.
5. Quænam partes Ossium innominatorum primò osseam induant naturam, hic luce meridianâ clarius constat.
6. Nil ossei adhuc apparet circa Carpum, Metacarpus verò planè osseus.

7. In Tarso vix Osseum quid reperitur, Metatarsus è contra osseam duritiem jam obtinet.
8. Ossa digitorum manus, ea quæ sunt in digitis pedum in sua ossificatione præcedunt.
9. Os pectoris eo tempore nil ossei adhuc habere, hic clarè constat.
10. Claviculæ in totum fere osseæ, ut & costæ, exceptis earum epiphysibus.
11. Processus anteriores maxillæ inferioris (ab aliis Coronæ, aut processus acuti dicti) veras apophyses haud esse, hoc exiguum sceleton demonstrat. Existunt enim dicti processus in prima ossificatione, & non erumpunt ex vera ossis parte; quod de essentia veræ apophyseos esset, itaque non immeritò à me pro apophysibus spuris habentur.

No. VIII. Sub dicto sceleto reperitur aliud octo mensium, dextrâ tenens Vesicam urinarium, è cane desumptam.

Homo Bulla.

In eo Sceleto sequentia visuntur.

1. Carpus planè cartilagineus.
2. In tarso Calx osseam induit duritiem, cætera Pedis ossa adhuc cartilaginea.
3. Patellæ in totum cartilagineæ.
4. Omnes epiphyses totius sceleti cartilagineæ.
5. Maxillam inferiorem è duabus partibus constare in foetu recens nato, certum est: at verò earum unio non fit cartilaginis interventu, uti Authores autumant, imò quotiescunque illud exploravi, semper reperi, hæc duas partes, membranæ ope cohærere, quemadmodum in hoc subjecto videri potest.
6. Os innominatum lateris sinistri decliviorum habet situm, quàm dextri; idque nequiquam propter malam conformationem, sed ob sceleti situationem, ante ejus exsiccationem; id quod multis imposuit Chirurgis, existimantibus os femoris exarticulatum esse, quum offenderent alterutrum pro-

tractius esse post lapsum, & dolores immanes. Hoc dico sæpius dependere à situ & corporis protractione, unde declivorem acquirit situm, & insequente osse femoris, crus longius nobis videtur.

7. In osse pectoris octavo mense gestationis sex septemve officula rotunda, secundum dicti ossis longitudinem posita, sæpius inveniuntur, hic vero nonnulla ex iis sunt gemina.
8. Fontanella in capite perquam exilis.

N^o. IX. A dextra memorati sceleti reperitur Sceleton foetus humani maturi, tubam deauratam maxillis comprehendens.

Memento temporis novissimi!

N^o. X. Pueri quadriennis Sceleton, varia crepundia manibus gerens.

Vita humana lusus.

In eo Sceleto notanda.

1. Ossa pubis osseam eo ætatis tempore induisse naturam, hic constat.
2. Ossa innominata in tres partes esse separata, hoc sceleton quoque demonstrat.
3. Patellæ planè adhuc cartilagineæ.
4. Ossa Calcis, Tali, Tesseræ, ut & maximum ex tribus ossibus innominatis, in osseam degenerarunt substantiam; dum cætera duo innominata, seu cuneiformia, ut & naviculare, cartilaginea remanserunt.
5. Epiphyses ferè omnes osseam nactæ sunt rigiditatem, inter quas & veram ossis partem multum cartilaginis intercedit.
6. Ossa Femoris, Tibiæ, Suræ & Humeri, figuram habent magis rectam, quàm in adultis consuevit.
7. Ex ossibus carpi duo osseam substantiam nacti sunt, idque in utroque latere.
8. Os pectoris ex undecim officulis rotundis (quod rarò si unquam visum) conflatum.

No. XI. Sceleton quinque circiter annorum pueri, à cujus dextra corculum humanum, balsamo induratum, filo serico dependet.

Omnia sunt homini tenui pendentia filo.

In eo notanda.

1. Offa utriusque tarfi (ossibus navicularibus exceptis) osseam induisse duritiem.
2. Os pectoris è quinque ossiculis rotundis constans.
3. Inter processum Anchoriformem, & veram ossis Scapulæ partem, multum cartilaginis interpositum esse; quod indicio est, dictum processum Apophysin spuriam esse.
4. Duo ex anterioribus ossibus carpi videmus verè osseam natura duritiem; cætera adhuc cartilaginea sunt, sicuti in præcedenti sceleto.
5. Summus humerus, qui processus est scapulæ, hic planè adhuc cartilagineus.
6. Spina ossis ilii in totum cartilaginea.
7. Inferiorem epiphysin ossium humerorum veram esse epiphysin, luce meridiana clarius hic constat, inter eam enim & veram ossis partem cartilago intercedit.
8. Idem reperitur in inferiori epiphysi ossium quæ Radii dicuntur.
9. Superiores epiphyses ossium cubiti (nempe olecrana) cartilagineæ adhuc existunt; nilque ossei in iis invenitur.
10. Epiphyses superiores seu capita ossium brachii è duobus ossibus eo ætatis tempore constare, conspicitur.
11. Trochanteres majores ut & minores Epiphysicos more veræ ossis parti adnascuntur; itaque pro spuriiis Apophysibus quoque habendi.
12. Inferiores epiphyses ossium surarum osseam naturam induerunt, superiores verò cartilagineæ adhuc existunt.
13. Omnia utriusque tarfi ossa (solo Naviculari excepto) ossea facta.
14. Ossicula auditus lateris sinistri naturalem occupant in osse petroso situm.

Nº. XII. Sequioris sexus Sceleton satis procerum strophio-
lachymarum absterfionem repræsentans, cum
hoc fymbolo,

Mundus lachrymarum Vallis.

Notanda.

1. Sceleton fæmininum esse, satis indicant costarum tenuitas, ut & distantia quæ inter inferiorem partem ossium pubis animadvertitur.
2. Amplior quoque tota pelvis quàm in Viro.
3. Os Pectoris è quatuor ossibus constat, mucro verò in totum adhuc cartilagineus; quod nobis indicio est, ætate nondum fuisse provectum; tractu temporis enim numerus dictorum ossium in osse pectoris ita diminuitur, ut in senio non rarò simul cum mucrone ex uno osse constet.

Nº. XIII. Basis Tumbæ variis humanis ossibus repleta, cæ-
meterium repræsentat.

Æqua Tellus recluditur pauperis Regumque pueris.

Lit. A. Caput osseum in quo notanda.

1. In sutura squammosa sinistri lateris, circa basin processus mammillaris, ossiculum Wormianum.
2. Alterum par futurarum mendosarum (cujus beneficio latera ossis sphœnoidis ossi frontis junguntur) magna ex parte oblitteratum. Exinde dicta ossa per symphysin sine medio unita sunt.

L. B. Hominis Caput osseum.

Notanda.

1. Palatum mirum in modum depressum.
2. Sutura sagittalis in totum oblitterata, in cujus parte postica

- fovea rotunda visitur. * An à trepanatione?
 3. Sutura coronalis circa os temporale finistrum oblitterata.

L. C. Hominis Caput osseum.

Notanda.

1. Sutura sagittalis ad nasi usque radicem extensa os frontis in duas partes dividit.
2. In utroque latere ossis frontis sulci longi inveniuntur, ortum ducentes è foraminibus supra oculorum orbitas sitis, in iis locantur nervi per musculos frontis distributi.

L. D. Vetulæ Caput osseum.

Notanda.

1. Utraque maxilla non solum edentula, verum etiam in sua altitudine ita diminuta, ut vix dimidia latitudo supersit. Vide Observationem 83. & figur. 65.
2. Maxima, imò prodigiosa reperiuntur in hoc capite foramina in exteriori parte orbitarum oculorum sita, quæ apud Spigelium foramina quarta ossis cuneiformis audiunt. An hoc à prima conformatione, an verò ob senectutem, haud facile est determinare.

L. E. Caput osseum, in quo notanda:

1. Sutura sagittalis ad nasi radicem usque exporrecta.
2. Cavitas in infima parte ossis frontis perquam exilis, quam Authores ab illo futuræ decursu ad nasi radicem usque ori, autumant; verum aliquoties contrarium quoque observavi.
3. In futura Lambdoidea varia Officula Wormiana; inter quæ duo triangularia, eaque ad latera, ubi futura sagittalis cum lambdoidea conjungitur.
4. Processus mammillares ossium temporum cavernulis referti.

L. F. Caput osseum, in quo notanda:

1. Sutura sagittalis, sicut in præcedenti, ad nasi radicem extensa.
2. Officulum Wormianum exiguum in futura secunda mendosa, quod valde rarum.
3. In superiore & exteriori parte ossium Zygomaticorum insignis processus osseus (rarissimè si unquam antea visus) reperitur.

L. G. Caput Osseum hominis adulti.

Notanda.

1. In latere sinistro Officulum Wormianum in futura squamosa.
2. Inter Officula Wormiana vix majus reperitur, quàm in futura coronali hujus capitis. Illud similiter haud frequens.
3. Vomer cum septo narium per osseam substantiam unitus, quod sæpissimè contingit in adultis, unde ansa oborta apud nonnullos dubitandi, utrum hæc duo officula unum, an verò duo essent.
4. Musculorum temporalium vestigium insigne cum margine eminentiori in osse frontis & syncipitis.

L. H. Pueri octo circiter annos nati Caput osseum.

Notanda.

1. Notabilis hîc est distinctio & separatio ossis occipitis ab osse sphænoideo; quod solum in junioribus cernitur: tandem enim hæc duo ossa conjunguntur per osseam substantiam.
2. Hic visu pulchrum, quomodo in dentium renovatione interstitia alveolorum à prorumpente dente extrudantur, imò in nihilum redigantur.

L. I. Caput osseum hominis adulti.

Notanda.

1. Officula Wormiana varia in Sutura Lambdoidea.
2. Geminum officulum Triangulare inter Suturam Sagittalem & Lambdoideam.
3. Officula Wormiana varia in Sutura secunda mendosa.

L. K. Caput Osseum.

Notanda.

1. Sutura sagittalis ad nasi radicem usque protracta; quod sexus varietatem neutiquam denotat.
2. Varia officula Wormiana exigua in Sutura Coronali, inter quæ unum valde ingens.
3. Officulum Wormianum in Sutura Coronali.
4. Tot Officula Wormiana in Sutura Lambdoidea, ut dimidia pars dictæ futuræ gemina appareat.

L. L. Adulti Caput Osseum.

Notanda.

1. Sutura sagittalis in totum ferè oblitterata.
2. In ossis occipitis medio prominentia ossea præternaturalis apparet.

L. M. Pueri caput osseum.

Notanda.

1. Sutura squammosa dextra maxima ex parte gemina.
2. Idem reperitur in sutura Lambdoidea.

Li. N. Caput osseum fenile.

Notanda.

1. Os triangulare inter Suturam Sagittalem & Lambdoideam.
2. Varia officula Wormiana in Sutura Lambdoidea.

Nº. XIV. Varia ossa humana inter dicta Capita ossea disseminata, ut Cæmeterium repræsentarent.

Inter dicta ossa primò nobis occurrit os humeri sex annos circiter nati, cujus epiphysis superior seu caput, ut & epiphysis inferior, propter decoctionem in aqua simplici separatæ sunt. Vide Nº. I.

Duo ossa cubiti ejusdem pueri, epiphysibus per decoctionem orbata, olecrano ne quidem excepto, quod indicium est, ipsum olecranium epiphyseos in modum veræ ossis parti adnasci. Itaque pro apophysi spuria quoque habendum olecranium. Vide Nº. II.

Os femoris ejusdem pueri incurvatum, cujus epiphysis superior & inferior non solum post decoctionem deciderunt, verùm etiam uterque trochanter sive rotator: hinc clarè constat, dictos trochanteres spurias esse apophyses, & veræ parti ossis epiphyseos more adnasci. Vide Nº. III.

In Theca A. sequentia reperiuntur.

In primo & supremo Repositorio exhibentur.

Nº. I. Partes generationi inservientes foetus maturi sequioris sexus, cum annexis vesica urinaria & portione intestini recti. In uteri vagina semilunare hymen, prout ordinariè in illa ætatula comparere consuevit, conspicitur; solet enim in puellis cum tempore accrescere in circulum, in cujus centro, in statu naturali apertura semper remanet. Conspiciuntur quoque utrimque arteriæ umbilicales cum uracho impervio.

Nº. II. E Puerpera novem dierum venæ spermaticæ portio
Q cera-

ceraceâ materiâ repleta, in qua capacitas dictæ venæ notabilis; extra puerperium & in non gravidis neutiquam ita capaces venæ spermaticæ.

Nº. III. Vena jugularis equina, in cujus altera extremitate conspicitur valvula connivens, aut membranula semilunaris valvulam mentiens, & tamen ad valvulæ officium explendum inepta. In altera verò extremitate ostium rami è dicta vena producti occluditur verâ valvulâ.

Nº. IV. Stomachus cum intestinis embryonis quatuor mensium.

In Repositorio secundo reperiuntur.

Nº. I. Vesica Vitulina geminam mentiens, utpote in cujus postica parte adhæret quasi secunda vesica, priori & verâ amplior, cui crediderim ortum dedisse Urachum præter naturam dilatatum, qui in hoc animalium genere secundum naturam semper reperitur pervius.

Nº. II. Sceleton foetus quatuor mensium, brachiolorum elevatione quasi exsultans.

O mihi nunc, Ossibus molliter quiescentibus!

Nº. III. Partes generationi infervientes à quatuor mensibus gravidæ.

Notanda.

1. Hasce partes viginti sex annis tam nitidè conservavi, ut videantur recenter exsiccatae.

2. In dicto Utero quoque decumbit foetus Balsamo conditus & lapidis instar induratus, cujus symbolum,

Formatus, denatus, & sepultus in eodem.

Sic Uterus mihi Tumulus.

3. Vaginam in gravidis longiorem esse hic apparet.

4. Ve-

4. Vesicam non semper insequi hanc vaginæ extensionem similiter hic observari potest.
5. Annexa etiam hic comparent ligamenta uteri teretia, quæ hic diceret in antica potius quam postica uteri parte hæ-
rere, idque ob fundum uteri graviditatis tempore in altum sese elevantem.
6. Notatu quoque dignum est, eo loci ubi intestinum rectum cum vagina coalescit, parietem illum haud esse tam spissum, prout sibi communiter quis imaginaretur, & quàm facile, dum hæ partes malè affectæ sunt, sibi invicem mala sua communent: adeo ut gangræna illic exorta tam facilè à vagina ad intestinum rectum transeat.
7. Quàm ampla sint in gravidis vasa sanguinea uterina, hic quoque apparet.
8. In vesica flatu leviter extensa, nulla ruga, nulla fovea; tam verò naturaliter constituta, ac si urinâ esset distenta.

Nº. IV. Huic utero cum foetu in eo occluso adstat Sceleton quatuor mensium cum dimidio, sinistrâ dictum uterum tangens.

Nec poterat Tumulo nobiliore tegi.

Notanda.

1. In ejus sterno nil ossei adhuc apparet.
2. Officulum triangulare inter Suturam Sagittalem & Lambdoideam reperitur.

Nº. V Sceletata gemellorum quatuor mensium.

Dextrum manibus elevatis, gaudium quasi præ se ferens, cælum respicit.

Simistrum verò dextrâ oculis lachrymantibus applicitâ, mortis suæ præmaturæ eventum sinistrum deplorare videtur: sic igitur gemelli dispari quasi affectu exprimunt Democritum & Heraclitum.

Nº. VI. Renis humani, in lamellas scissi, portio.

Notanda.

1. A. A. Vasa fanguinea per renem dispersa & materiâ ceraceâ oppleta.
2. B. B. Canaliculi per quos urina ad pelvim deducitur.

Nº. VII. Ren Humanus prodigiosæ magnitudinis, Iagenæ figuram referens.

Notanda.

1. Per ejus membranas notabilia vasa fanguinea disseminantur, inter quæ, licet repleta, varia tamen adeò exilia existunt, ut visus aciem ferè fugiant.
2. Arteria Renalis s. Emulgens, ab omnibus membranis & pinguedine denudata, quibus aliàs occultari solet.
3. Tubercula, potius glandulæ renales induratae & tumefactæ è renis substantia expullulantes, & Lit. a. a. insignitæ.

In Repositorio tertio.

Nº. I. Intestini Ilei humani portio pedamento insistentes.

Notanda.

1. Mesenterii, cui dicta intestina cohærent, vasa Mercurio vivo turgida.
2. Naturalem situm servarunt dicta intestina, quorum vasa fanguinea Mercurio vivo quoque sunt infarcta.

Nº. II. Sceleton septem mensium foetus abortivi, sinistrâ gerens intestina & stomachum gallinæ.

Pecudum fibras rimatur & exta.

Notanda.

1. Aciculæ variæ stomacho infixæ sunt, quas deglutierat gallina, ex iis nonnullæ stomachum perforarant. Vide Nº. 1. a. a.
2. In

2. In offe pectoris quatuor observantur officula rotunda.

Nº. III. Pila è pilis vaccinis in stomacho vaccæ reperta.

Nº. IV. Portio vasorum pulmonis, Arteriæ scilicet, Venæ, & Asperæ Arteriæ, super invicem ita positæ, ut naturalem positionem aut situm ferè servant.

Notanda.

Omnia dicta vasa repleta in subtilissima vascula desinunt, arboremque (quod visu pulchrum) repræsentant.

Nº. V. Thecula fenestrata quatuor Sceletis Embryonum ditata, quorum primum & maximum duorum mensium cum dimidio, intestina ranæ nitidè inflata & condita dextra gerit.

Notanda.

1. Caput corporis respectu solito more ingens, & maxima ex parte membranaceum.
2. Ossis frontis ossificatio primùm sese offert circa oculorum orbitas; sic & os occipitis circa foramen maximum medullæ egressui dicatum.
3. Nulla adhuc ossificatio in loco ossium bregmatis.
4. Maxilla superior in totum ossea, ut & maxilla inferior, quarum utraque in oblongum est protracta, & acuminata sicut in canibus.
5. Claviculæ osseæ, ut & costæ.
6. Offa innominata partim ossea, partim cartilaginea, quorum ossificationem in medio eorum incipere palam hic est.
7. Officula carpi merè cartilaginea sunt, metacarpii verò ossea.
8. Digitorum officula, osseam substantiam induere incipiunt, & arenæ magnitudine est illud, quod ossis naturam induit.
9. Officula metatarsi jam ossea, digitorum verò cartilaginea.

Nº. VI. Proximè succedens Skeleton, in eadem Thecula fenestrata locatum, duorum circiter mensium est, sinistra

gerens pulmonem ranæ inflatum & scissum, ut intrinsecum videre liceat.

Notanda.

1. Cranium in totum membranaceum, exceptâ superiore parte orbitæ Oculorum.
2. Utraque maxilla jam osseam duritiem acquisivit.
3. In ossibus innominatis levissimum ossificationis initium observatur, puncti candidi specie.
4. Metacarpii ossicula, ossificationem arenæ in modum exiguam exhibent.
5. Tota spina dorsi merè cartilaginea, imò ferè membranacea videtur.

Nº. VII. Sequitur ordine tertium embryonis septem circiter septimanarum Sceleton, in eadem Thecula fenestrata positum, sinistrâ gerens polypum è sinu longitudinali desumptum.

Notanda.

1. Hic Polypus tantam habebat tenacitatem, ut eximi & exficari potuerit, venam referens. Quo ipso, multi fuere decepti in pectoris affectibus, cum tuſiſſendo ejusmodi polypos rejecerunt, credentes sese venas expectoratas offendisse. Hosce polypos nil aliud esse, quàm serum stagnans & incrassatum in bronchiis pulmonum aut aliis vasis venosis, luce meridianâ clarius constare, existimo.
2. Parum aut nihil in sui ossificatione à præcedenti discrepat.

Nº. VIII. Quartum hujus Thecæ fenestratæ Sceleton embryonis duorum circiter mensium, sinistrâ gerens ovum humanum, dextrâ verò Ephemerum.

Nascentes morimur.

Notanda.

1. Caput in totum membranaceum, exceptâ superiore parte utrius-

- utriusque orbitæ Oculi. Imò in totum convenire videtur cum Sceletò supramemorato N^o. 6. insignito.
2. Caput gossypio repletum est, ut rotunditatem retineret.

N^o. IX. Dictæ Thecæ fenestratæ adstat Skeleton sex mensium, sinistra gerens racemum calculorum è corpore humano excretorum, qui calculi limosâ substantiâ cohærent; dextrâ verò ostendit varios calculos, è vesicula fellea humana desumptos, qui figurâ & æqualitate summopere inter se conveniunt, imò posticam partem patellæ æquant.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

Notanda.

1. In osse pectoris tria officula Sphærica reperies, cætera cartilaginea adhuc existunt.
2. Membrana Tympani in lævo latere integra & pellucida, per quam videmus officula auditus in suo situ.
3. In carpo, tarsoque nîl ossei apparet, metacarpio & metatarso in utroque latere osseis existentibus.

N^o. X. Arteriæ Pulmonalis ramus ingens, ceraceâ materiâ refertus; unde ramusculi, etiam minutissimi, clariùs in oculos incurrunt.

Notanda.

1. Repletorum ramusculorum capillarium extremitates, obtinitatem vix ac ne vix quidem videri possunt sine microscopio.
2. Omnes membranæ visui obstantes in totum ablatæ, ita ut vascula appareant nuda.

N^o. XI. Testis Virilis Balsamo induratus, & à typica vaginali denudatus, servatâ propriâ seu albugine.

Notanda.

Lit. A Testiculum demonstrat.

B Pa-

- B Parastata seu epididymis, per cujus superficiem vasa sanguinea innumerabilia sparguntur & quidem artificiosè repleta.
- C Globus Epididymidis major.
- D Globus Epididymidis minor.
- E Vasa spermatica præparantia siphone repleta mirò nexu cohærentia, & serpentino cursu repentia.
- F Musculus cremaster.

Nº. XII. In eodem Pedamento reperitur tunica vaginalis ejusdem testiculi, cum annexo musculo cremastere.

Notanda

Omnia esse præparata, ut parum aut nihil à naturali statu recesserint; vasa nempe repleta, naturalis capacitas & cavitatis dictæ tunicæ ita sunt conservatæ, ut quasi adhuc inflata appareat tunica vaginalis.

Nº. XIII. Hominis vesicula fellea.

Notanda.

In ea multi calculi ciceris magnitudine, qui quoad formam patellæ haud absimiles sunt.

Nº. XIV. Vituli splen à parenchymate glanduloso & ambiente membrana separatus.

Notanda.

1. Arteria splenica ex parte repleta.
2. Vena secundum longitudinem dissecta, ut ejus perforatio, & in progressu obliteratio aut annihilatio clariùs videri possent.
3. Sulci, in quos dicta vena terminatur.

Nº. XV. Vituli Arteria splenica ab omnibus fibris splenicis denudata, cui adhuc annectitur vena splenica, in qua ejusdem obliterationo quoque apparet.

Nº. XVI. Membrana vasculis sanguineis minutissimis ditata; quorum, quantumvis ceracea materia infarctorum, extremitates, tamen sine microscopio in sensus haud incurrerent, propter subtilitatem suam.

Nº. XVII. Pueri duos circiter annos nati portio intestini ilei & coli, cum annexo cæco & processu vermiformi.

Notanda.

1. Dicta intestina mesenterio & mesocolo cohærent.
2. Vasa Mesaraica repleta.
3. Glandulæ numerosæ per dictum intestinum ileum dispersæ, lumini candelæ si exponantur, apparent.
4. Intestinum Colon magis magisque angustatum in processum vermiformem desinit, secus ac in ætate provectioribus, in quibus intestinum cæcum circa processum vermiformem magis protuberat, ut excrementis esset diverticulo. Vide fig.

Nº. XVIII. Foetus quatuor mensium Sceleton, sinistrâ gerens margaritas, quas indice dextra commonstrans, quasi hoc innuit:

Cur velim ea diligere quæ sunt in mundo?

Nº. XIX, XX, XXI. Humani intestini Ileii portiones.

Notanda.

1. Vascula sanguinea ceraceâ materiâ ad minimâ usque ita infarcta, ut intestinum adeò rubeat ac si esset inflammatum.
2. Variis in locis eâdem materiâ fibræ intestinorum musculosæ seu transversæ videntur oppletæ.

Nº. XXII. Leporis intestini Coli & Cæci portio, Balsamo nitidè præparata.

1. In intestino variæ occurrunt glandulæ.
2. Interior superficies seu tunica tam mirum in modum est contorta, ut cochleam seu instrumentum, quo in Hollandia ad aquas è profundo hauriendas utuntur (*Belgicè een Handwater-molen*) repræsentet, & hoc in omni lepore locum habere reperio.

Nº. XXIII. Uterus cochleæ marinæ gravidæ cochleis exiguis refertissimus.

Notanda.

1. Hunc Uterum Asperæ Arteriæ æmulum, & ex multis annulis cartilagineis esse compositum.
2. Totam uteri cavitatem Cochleis exiguis esse refertam, interposita materia spongiosa aut potius fibrillis spongiæ instar contextis.

Repositoryum IV.

Nº. I. Uterus humanus Balsamo induratus, & ita præparatus, ut omnia quæ ad uterum pertinent, vaginâ exceptâ, oculos incurrant. Vid. litteras, per quas particulæ omnes denotantur.

A Uteri corpus in sinistrum latus retractum. Vide Observat. 88.

B Os uteri internum.

CC Duo ligamenta, lata dicta.

DD Ovaria.

EE Tubæ Fallopiæ, f. Oviductus inflati, cum earundem fimbriis.

F Vasa sanguinea repleta, & per uterum disseminata.

G Ligamentum tertium teres, præter naturam huic utero connatum, de quo mentio facta Obs. 88.

Nº. II. Uterus humanus (de quo mentio facta est Obs. 85.)
per medium dissectus & Balsamo nostro induratus,
in quo occurrunt.

Notanda.

1. Uteri cavitas sanguine coagulato referta.
 2. Ovario dextro sanguinis coagulati grumus adhæret; & quia Uteri ut & Tubæ dextræ cavitates sanguine erant turgidæ, admodum probabile est, eundem sanguinem è Tuba in Ovarium stillasse, ficque eidem accrevisse. Hæc omnia litteris sequentibus demonstrantur.
- A. Uterus in duas partes divisus, in cujus cavo sanguis coagulatus a apparet.
- BB Ovaria.
- C Sanguis coagulatus ovario dextro agglutinatus.
- DD Ligamenta lata.
- EE Ligament teretia.
- FF Tubæ Fallopiianæ cum annexis fimbriis.
- GG Vasa sanguinea per uterum dispersa.
- HH Ova humana.
- I Os Uteri internum.

Nº. III. Sequioris sexus Foetus humanus sex mensium cum dimidio, in liquore jam à multis annis ita conservatus, ut nil præter animam amiserit. Hujus symbolum:

Nec Mors, nec Vita relicta.

Notanda.

1. Naturalis color, magnitudo, crassitiesque, sine ullis rugis ita conservata sunt, ut Pictori inservire possit dictus foetus: videtur enim recenter è vita discessisse.
2. Umbilicalis funiculus inter pedes visibilis, planè naturaliter quoque constitutus.
3. Situm naturalem quoque servavit.

Nº. IV. Cerebrum humanum Balsamo lapidis instar induratum & inversum.

Notanda.

1. In Balsamatione parum aut nihil amisit de sua magnitudine, ita ut integram cranii sui capacitatem possit replere.
2. Glandula pituitaria & infundibulum (Lit. A.) tam affabrè præparata & cerebro annexa, ut in recenti cerebro haud luculentius demonstrari possint.
3. Ambæ glandulæ (B.) ponè infundibulum consitæ.
4. Medulla oblongata, fissurarum beneficio in duas partes divisa, quarum antica minor, major & profundior postica.
5. Protuberantia annularis. D.
6. Cerebri quadripartiti anteriores & posteriores lobi. E. E.
7. Cerebellum lamellatim dispositum. F.
8. Nervi olfactorii. G. G.
9. Nervi Visorii. H. H.
10. Nervi oculorum motorii. I. I.
11. Nervi Pathetici. K. K.
12. Par 5^m. secundùm Willisium, & 3^m. Veterum. L. L.
13. Par 6^m. Willisii s. 4^m. Veterum. M. M.
14. Par auditorium. N. N.
15. Par vagum O. O.
16. Nervi accessorii. P. P.
17. Par nonum Willisii & septimum Veterum.
18. Par decimum Willisii.
19. Infundibulum, artificiosissimè præparatum, servatâ ejus cavitate.
20. Tenuis Meninx, s. pia Mater.

Nº. V. Pars cerebri anterior Balsamo firmata, pedamento insistens.

Nº. VI. Ejusdem cerebri portio, in qua corticalis substantia à medullari discernitur.

Nº. VII.

Nº. VII. Portio Humani intestini Ilei & Coli, cum annexo Intestino Cæco, & ejus processu vermiformi.

Notanda.

1. Valvulæ coli.
2. Glandulæ in processu vermiformi.
3. Calculi magnitudine capitis aciculæ majoris, per membranas coli dispersi; glandulas esse in lapideam substantiam degeneratas, non dubitavi ampliùs, postquam illud in intestinis equinis luce meridianâ clarius inveni & conservavi.
4. Cellulæ Coli.
5. Tria Coli ligamenta.

Nº. VIII. Vasculum ligneum, laccâ expolitum, & Pilorum manipulum continens, quorum nonnulli Spithamæ longitudine visuntur.

Notanda.

1. Hosce Pilos reperi in Atheromate omenti, pugni majoris magnitudine. Vide Observ. 18.
2. Nullus horum pilorum gaudet radicibus visilibus.

Nº. IX. Pars cranii homicidæ, in perversa decollatione à Carnifice gladio in duas partes divisa.

Repositoryum V.

Nº. I. Duo ossa femoris post fracturam tam inconcinnè reposita, aut saltem post repositionem tam malè conservata, ut fracturarum extremitates super invicem positæ & coalitæ, ossa valdè reddiderint decurtata.

Notanda.

1. Variæ exostoses, quarum nonnullæ acutæ & tenues, non rarò in causa sunt, ut afflicti, etiam sanati, adhuc impensè doleant, dum incedere primò conantur; id quod haud mirum,

- mirum, cum in incessu musculi ab acutis istis prominentiis atterantur.
2. Dictæ exostoses non solum circa callum, in ambitu fracturæ reperiuntur; verum etiam supra fracturam, è parte sana proruperunt.
 3. Circa originem harum exostosium hoc notandum, easdem enasci ex illis foraminulis, in quæ implantantur fibræ tendinosæ, quibus evulsis ansa datur earundem eruptioni, quod in luxationibus similiter aliquando quoque accidit, cujus exemplum vide in osse subsequente N^o. 2 & 3.

N^o. II. Ovis os innominatum, in quo sequentia notatu digna occurrunt.

Notanda.

1. Non solum in ambitu acetabuli (in quo caput ossis femoris rotatur) multum ossis expullulavit, verum etiam in ipso acetabulo. Hæ ossis expulsioniones s. exostoses ortum duxerunt ex evulsione eorum ligamentorum, quorum beneficio os innominatum ossi femoris coarticulatur: idque ab ictu vehementiori, unde simul etiam os femoris frangebatur. Hanc meam opinionem confirmant quoque ossa N^o. 3 & 4. pedamento communi insistentia, quorum os primum os femoris est supracitatum, post fracturam vitiosè ferruminatum. In quo variæ quoque reperiuntur exostoses è sana parte prominulæ. Os secundum, dicto ossi femoris adsitum, inferior pars est ossis tibiæ canis venatici, qui insequendo Cuniculum à saltu altiori in pedis luxationem incidit, unde ligamenta quoque ex osse evellebantur & eodem in loco variæ exostoses à me post mortem ejus sunt repertæ.

N^o. V. Syntaxis ossium utriusque pedis filo æneo tam affabrè concinnata, ut fila oculos vix incurrant.

N^o. VI. Sceleton Pueri recens nati, capiti osseo hominis adulti insitens, quod illi loco pedamenti inservit. Sinistrâ continet portionem peritonæi cujusdam herniosi, in quo peritonæo visui exhibetur hernia omentalis.

Post Funera profum.

Notanda.

1. Hic luce meridiana clarius constat, in eo affectu hernioso peritonæum quidem dilatari & extendi, idque vel in hoc vel in illo loco, non verò disrumpi.
 2. Vasa spermatica sub peritonæo decurrere, aut per superficiem ejus exteriorem repere. Quod si Authores super hac re consulantur, illi dicta vasa inter peritonæi duplicaturam procurrere autumant; nos verò talem, qualem illi descripsere, duplicaturam haud admittimus.
 3. Dicti Sceleti caput ferrâ maximâ ex parte divisum est, ut falcis veram constitutionem, sicut & duræ matris duplicaturam cerebrum à cerebello dividentem, videre liceret. Cætera conveniunt cum aliis prægressis Sceletis.
 4. In capite osseo, quod dicto Sceleto pro pedamento est, futura sagittalis ad nasi radicem usque extenditur.
 5. Inferior ejus maxilla omnibus alveolis (uno excepto) destituta, dimidiam partem suæ altitudinis amisit, unde foramina nervi quarti paris exitui destinata, in supremo maxillæ visuntur.
 6. Maxilla superior tantum quoque de sua altitudine (propter alveolorum annihilationem) amisit, ut vix calami scriptorii latitudo remanserit.
 7. Foramen ossis cuneiformis, quod falsò quartum audit, (non solum enim insculptum est ossi sphænoideo, verum etiam ossi zygomatico, & maxillari) & in exteriori parte orbitæ oculi invenitur, tantæ est capacitatis aut latitudinis, ut nuci avelanæ facile viam præbeat.
- Notandum hic quoque, ossa, in quibus dictum foramen exsculptum est, nempe os sphænoideum, os zygomaticum, & os maxillare, diminui necesse esse.
8. In Tumbæ Basi caput osseum reperitur, in quo foramen dictum ejusdem capacitatis est.
 6. Foramina nervorum viseriorum exitui destinata, ut & foramen quintum & sextum ossis sphænoidis multò quoque ampliora propter ossium diminutionem. Ita ut in senio non solum

solùm partes molliores, puta muscoli, pinguedo &c. aliquando summopere diminuuntur, verùm etiam aliquando partes osseæ.

10. In dicto capite osseo duo quoque exstant ossa triangularia inter futuram sagittalem & lambdoideam.
11. Officula Wormiana varia reperiuntur in futuris squamosis ossium temporalium.

Theca B. Repositoryum I.

Nº. I. Particula pulmonis, è foemina, inflata & spongiæ æmula; in qua vesiculæ pulmonales, substantiam pulmonis constituentes, luculenter apparent.

Nº. II. Particula pulmonis, è Viro, inflata, pedamento insistens, in cujus bronchiis pulmonalibus calculus ingens, & præter eum, varii adhuc calculi eidem pedamento insistentes.

Notanda.

1. Vesiculæ pulmonales innumerabiles visuntur diversæ magnitudinis.
2. Vascula sanguinea transversim secta.

Nº. III. Particula pulmonis vitulini inflata, in qua vesicularis substantia, vasorum vestigia, ut & septa membranacea, pulmonem in varios lobos dividunt, apprimè visuntur. In eodem pedamento varii quoque calculi, è pulmone bovino desumpti, conspiciuntur.

Nº. IV. Ejusdem vitulini pulmonis portio, in qua mox dicta septa membranacea ab inflatione instar spongiæ expansa, ut & tumor flatulentus reperiuntur.

Nº. V. Pulmonis Vitulini portio, in qua septa suprascripta magis adhuc sunt expansa.

Nº. VI. Pulmonis lobulus ab annexis lobulis ita separatus, ut ne quidem læsa sit ambiens ejus membrana, unde inflatus à me exsiccatus est. Huic annectitur ramulus asperæ arteriæ.

Sub dicto Repositorio primo.

Nº. VII. Pedamentum variis particulis pulmonis inflatis instructum.

Notanda.

1. Particula pulmonis, cujus septa membranacea ita sunt extensa, ut cellulas adiposas repræsentent.
2. Ejusdem pulmonis portio, cujus ambiens membrana est ablata, & sic medullæ sambuci ad amussim respondet.
3. Portio pulmonis inflata, cujus vasa transversim secta apprimè apparent.
4. Portio dicti pulmonis in varios lobos divisa.
5. Particula pulmonis, cujus membrana, quantumvis tenuissima existat, flatu tamen in cellulas innumerabiles separata est.
6. Pulmonis inflati portio, quæ ab ambiente membrana suspensâ manu separata est, & sericum ad contactum mentitur.
7. Membrana pulmonis tenuissima.

Nº. I. Vituli lien à glandulis seu parenchymate glanduloso separatus, & inflatus, per cujus superficiem vasa lymphatica numerosa inflata disseminantur.

Nº. II. Anatis os alæ fractum & sanatum.

Notanda.

Hujus fracturæ callus ex materia osseo-spongiosa, diploës in cranio instar, constat; id quod aliquoties in homine quoque observavi: ita ut haud nimis fidendum sit iis, qui au-

tumant fracturarum callum semper tantæ esse firmitatis, ut ossa olim fracta & ferruminata citius (si denuo fracturam patiantur) in loco vicino, quàm in dicto callo frangantur.

N^o. III. Pulmonis vitulini portio non inflata, ut vasa sanguinea per pulmonis lobulos dispersa meliùs in conspectum producerentur.

Notanda.

1. Vascula sanguinea ceraceâ materiâ ita repleta, ut ne quidem eorum extremitates oculis sine microscopio assequi possimus.
2. Lobulorum subdivisiones.
3. Clarè hîc constat vasa sanguinea unius lobuli nullum habere commercium cum alterius lobuli vasis, intercedente membranâ, aut septo membranaceo. Imò membrana cujusque lobuli ambit tantùm lobulum proprium: vasorumque ramuli prospiciunt tantùm suo proprio lobulo. Hoc ita sese habere in pulmone vitulino expertus sum. In Homine verò non semper (si unquam) illud locum habere, videsis N^o. 4.

N^o. IV. Pulmonis humani particula aëre non distenta, propter mox memoratam rationem.

Notanda.

1. Vascula sanguinea ceraceâ materiâ tam affabrè eò usque sunt oppleta, ut eorum extremi ramusculi, qui vix microscopio detegi possunt, etiam ceram receperint.
2. Materia ceracea plurimis in locis per arterias adacta, & ad lobulorum vesiculas perducta, easdem replevit vesiculas pulmonales. Exinde in Hæmoptysi palam fit, quomodo sanguis rapidior factus, propter hanc vel illam causam, nempe calorem, tenuitatem &c. aliquando per arterias ad vesiculas pulmonales, & ex iis ad asperæ arteriæ ramusculos deductus, per os rejiciatur.

N^o. V. VI. VII. Pulmonis vitulini non inflati portiones, quarum vascula materiâ dictâ infarcta sunt.

Notanda.

1. In hisce perspicilli ope extremitates vasorum meliùs adhuc deteguntur.
2. Lobulorum divisiones clariùs hîc quoque apparent.
3. Lobulorum dictorum subdivisiones hîc quoque ita apparent, ut quisque lobulus grani hordei cortice obducti magnitudinem repræsentet.
4. Vesiculæ pulmonales ex parte materiâ ceraceâ, per arterias adactâ, oppletæ visuntur.

N^o. VIII. Bovinæ asperæ Arteriæ pars, per cujus ramusculos variæ hydatides disperguntur, qui affectus, quantumvis bobus magis quàm hominibus proprius sit, non rarò tamen in pulmone humano pariter reperitur.

Notanda.

In hisce Hydatidibus observatu dignum est, easdem flatu à me fuisse repletas, exsiccatas, & ita conservatas, ut naturalem ferè magnitudinem & formam reservarint.

m^o. IX. Foetus quatuor mensium Sceleton dextrâ penem juvenis, in taleolas dissectum, gerens, in cujus interioribus nonnulla, à nemine hæctenus detecta, egregiè demonstrantur. Vide Obser. 94.

Quantum est quod nescimus!

N^o. X. Vascula sanguinea per membranas dispersa, & Mercurio vivo repleta, ut ramificationes & inosculationes arteriarum conspici possint.

N^o. XI. Inter repositorium secundum & tertium parieti affixa conspiciuntur varia Vascula sanguinea, materiâ ceraceâ repleta, & ab omnibus adhærentibus membranis ita separata,

ta, ut nîl membranacei superfit : quod rarissimum censeo ; præsertim quia minutissimi ramusculi sunt infarcti, & ab omnibus adhærentibus separati. Vide Lit. A, B, C.

Repositoryum III.

Nº. I. Sceleton infantis sex mensium, cujus caput osseum portione Omenti, sericum repræsentantis, tegitur.

Nascimur ad mortem, Morimur ad vitam.

Notanda.

1. Sternum ex quatuor ossiculis constat.
2. In tarso & carpo nîl ossei adhuc apparet.
3. Deformitas exigua reperitur in maxillæ superioris medio.

Nº. II. Placenta uterina ab Obstetrice in evulsione digito indice magna ex parte in duas parte divulsa, & porrò plures ante annos tam artificiosè à me Balsamo præparata, ut hifce diebus Pictor subsequenti figurâ primâ eam repræsentârit.

Figur. I. Expositio.

A Placenta Uterina.


B Fissura ab Obstetricis digito indice facta, dum placentam eveleret.


C Locus ubi funiculus sese in placentam insinuat, circa quem locum observatu dignum est, quò magis ad centrum sese insinuat funiculus, eò difficiliorem esse extractionem. Vid. Obs. 97.

D Pars arteriæ umbilicalis funiculi quæ miro flexu sese reflectit, quod in recenti funiculo nodum repræsentat, è cujus multiplicitate Obstetrices temerariæ augurantur foetuum numerum, ab hac puerpera posthac luci exponendorum.

Nº. III.

Fig. 1.





No. III. Gallinæ Uterus cum annexo ovario, &c.

Notanda.

A Uterum denotat, in quo ovum per aliquod temporis spatium, ad sui perfectionem, imò corticis obductionem, detinetur.

B Uteri vulva, f. vagina.

C Oviductus miro flexu contortus.

D Infundibulum f. Ovarii introitus.

E Oviductus expansio, f. Tuba Fallopiana.

F Calices è quibus vitelli sunt elapsi.

G Calicum pedunculi, è quibus dependent Vitelli.

H Vitellorum racemus.

I Vitelli majores in racemi ambitu locati.

K Vitelli minores, circa racemi centrum positi.

No. IV. Effoetæ Gallinæ Uterus cum oviductu.

Notanda.

1. Degeneratio ejusdem uteri & oviductus, cum gallina est effoeta.

2. Non omnes circumvolutiones oviductus obliteratedæ comparent.

No. V. Gemellorum sex mensium Sceleta, Brachiis contortis sese mutuò amplectentia.

Prima, quæ vitam dedit, hora carpsit.

Notanda.

1. In unius sterno tria reperiuntur officula rotunda, in alterius verò tantum unum, quod ossificationis diversitatem innuit, eorumque opinionem falsam esse ostendit, qui tempus ossificationis tam præcisè determinare gestiunt.

2. In tarso & carpo nil ossei adhuc apparet.

3. In infimâ parte capitis ossei utriusque Sceleti omnia officula ab omnibus membranis, pinguedine, & musculis tam nitidè sunt mundata, ut nîl visum impediat; & sic summa differentia nobis occurrit inter officula horum tenellorum Sceletorum, & ossa adultorum; id quod visu mirum & delectabile.

Nº. VI. Placenta uterina humana cum suo funiculo umbilicali.

Notanda.

1. Omnes arteriæ à me sunt repletæ materiâ albâ, venæ è contra materiâ rubrâ; quæ variegatio aspectu jucunda.
2. Tam artificiosè præparata est Placenta, ut naturalem magnitudinem, formam, & crassitiem reservârit.

Nº. VII. Crepidæ è Corio humano confectæ.

Nº. VIII. Cutis in filamenta dissoluta, quæ fila sericea non malè referunt.

Nº. IX, X, XI. Funiculi umbilicales à fibris & membrana ambiente separati, quorum vasa sunt inflata, & tam artificiosè exsiccata, Balsamoque præparata, ut naturalem capacitatem, sine rugis aut foveis, retinuerint.

Nº. XII. Pars cerebri humani anterior Balsamo imprægnata & lapidis instar indurata.

Notanda.

1. Omnes cerebri gyri & anfractus egregiè conspiciuntur.
2. Quantumvis indurata sit dicta cerebri portio, nulla tamen ruga in ea invenitur.

Nº. XIII. Pars venæ portæ ossefacta è corpore hydropicæ.

Nº. XIV.

Nº. XIV. Embryonis quatuor mensium Sceleton, cujus pedes ad cursum directi; dextrâ gerit particulam Ossis Femoris carie infecti.

Neque ulla est aut magno aut parvo lethi fuga.

Notanda.

1. Hæc ossis particula desumpta est post mortem è femore cujusdam mulieris, tumore spongioso obsessæ.
2. Quantumvis os femoris in dicta ægra, magna ex parte esset cariosum & in multa fragmenta, propter dictum affectum, divisum, omnia tamen fragmenta erant nivea, & nulla nigredine inquinata; quod pluries observavi, quando dicti tumores ante obitum non fuerant aperti, & si aëri denegatus fuerat introitus.

Nº. XV. Portio intestini Ilei è lepore desumpta, in qua glandulæ intestinales luculenter sese offerunt.

Nº. XVI. Cordis bovini auricula dextra, lapidis instar, jam à viginti quinque annis nitidè conservata.

Nº. XVII. Membrana, per cujus duplicaturam vascula sanguinea, sanguine proprio infarcta, tam subtilia distribuuntur, ut visus aciem fugiant; Microscopii tamen beneficio ramusculorum extremitates, imò corpus reticulare Malpighii, in sensus incurrunt.

Nº. XVIII. Ramus arteriæ pulmonalis ceracea materia op-pletus, & ab omnibus membranis separatus, arbo-remque repræsentans.

Nº. XIX. Cerebrum ovinum Balsamo lapidis instar indu-ratum.

Notanda.

1. Ita reclinatum est cerebrum istud, ut duo ventriculi anteriores, imò & tertius ventriculus, conspici possint.
2. In eo quoque luce meridiana clariùs conspiciuntur Glandula Pinealis, Testes, Nates, Medulla Oblongata, ut & ejusdem medullæ oblongatæ crura, &c.

Nº. XX. Cor infantis balsamo conditum, & ita præparatum, ut foramen ovale, duo ventriculi, paries, utraque auricula, valvulæ, imò & vasorum exortus compareant.

Nº. XXI. Cor ovinum balsamatum, in quo auriculæ naturalem capacitatem retinuerunt. Prætereà ibidem vasorum exortus observatur.

Notanda.

Vasa coronaria Mercurio vivo sunt infarcta.

Nº. XXII. Cor ovinum jam ante viginti & sex annos Balsamo induratum.

Nº. XXIII. Cuniculi corculum Balsamo tam nitidè præparatum, ut naturaliter adhuc turgidulum appareat.

Nº. XXIV. Cor ex anate desumptum.

Nº. XXV. Uterus ovinus, in quo varia officula supersunt à prægressa imprægnatione, foetu in utero denato, & per partes expulso

Notanda.

1. Vasa ceraceâ materiâ ita oppleta, ut eorum cursus serpentinus demonstrari possit.
 - a a. Uteri Cornua; potius Uteri Bifurcatio; semper enim pars posterior uteri in duas finditur partes, quæ cornua repræsentantes, cornua audiunt.

- B B. Oviductus.
- C. Vagina.
- D. Vesica.
- E. Meatus urinarius.
- F. Ovarium sinistrum.

N^o. XXVI. Hominis intestini Jejuni portio.

Notanda

1. Valvulæ conniventes luculenter in ea detectæ.
2. Lit. A. Tumorem designat in eodem intestino, qui à flatu subortus est, postquam exterior tunica leviter fuit læsa; ejusmodi tumores quoque oriri in arteriis, à sanguinis propulsione, qui Aneurismata audiunt, postquam alterutra tunica læsa est, omnibus constat.

*Repositoryum IV.*N^o. I. Hominis intestini Coli, & Ilei portio, cum annexo intestino Cæco & appendicula vermiformi.

Notanda.

1. Glandulæ numerosæ in dicta intestini Ilei portione.
2. Glandularum acervus in processu vermiformi.
3. Valvularum intestini Ilei, (aut si mavis Coli,) naturalis constitutio tam affabrè reservata est, ut nil deficiat; & sic facillimè concipi potest regressum excrementorum è Colo & Cæco ad Ileum in statu naturali prorsus esse impeditum.

N^o. II. Diversæ portiones intestini Ilei è Puero.

Notanda.

Omnes sunt inversæ, ut glandulæ intestinales meliùs in conspectum producerentur.

N^o. III. Pueri biennis stomachus.

T

N^o. IV.

Nº. IV. Intestini Jejuni humani portio, cujus valvulas coniventes reperi oblitteratas, aut in nihilum redactas; cujus affectûs nullus Authorum, quod sciam, adhuc mentionem fecit.

Notanda.

In dicto processu materia lapidis instar dura reperitur.

Nº. V. Ossa pedis ovilli ita exarticulata, ut animal coactum fuerit supra dorsum pedis incedere.

Nº. VI. Hominis intestinum Cæcum à Colo separatum; huic annexus est processus vermiformis.

Notanda.

1. In dicto processu vermiformi corpuscula, lapidis instar dura, post mortem inveni.
2. Dicitus processus glandulis scatet.
3. Per Cæcum variæ quoque glandulæ disseminantur.

Nº. VII. Intestini Ilei è Vitulo desumpti portio.

Notanda.

1. Totum intestinum à vasorum repletione artificiosa rubet, quasi esset inflammatum; atque hinc ratio & modus veræ inflammationis deduci potest.
2. Glandulæ numerosissimè per dictum intestinum disseminatæ.

Nº. VIII. Fætus recenter in lucem editi omnia intestina mesenterio adhuc cohærentia, naturalemque situm occupantia.

Notanda.

1. Quanta sit differentia inter intestinum Cæcum recens nati & adulti, hîc apparet.

2. Le-

2. Leviter sunt inflata, & Balsamo ita indurata, ut nulla fovea in iis reperiatur.

Nº. IX. Ureteris calculosi portio, ita extensa ob calculorum transitum frequentem, ut minorem digitum facile recipiat.

Nº. X. Intestini Ilei humani portio.

Notanda.

1. Vasa fanguinea ceraceâ materiâ infarcta.
2. Vascula unius lateris cum alterius vasculis communicant & sese invicem osculantur.
3. Valvularum Conniventium vascula fanguinea, eâdem materiâ sunt oppleta; vide fig.

Nº. XI. Trunci Arteriæ magnæ & Arteriæ pulmonalis circa cordis basin abscissi, idque è corpore Vitulino, recenter in lucem edito.

Notanda.

1. Dicti trunci repleti sunt.
2. Ductus arteriosus, per quem sanguis in foetu immediatè ex arteria pulmonali in arteriam magnam transfunditur, hîc quoque conspicitur.

Nº. XII. Foetus humani sex mensium Sceleton.

Nº. XIII. Vituli Splen à parenchymate glanduloso seu glandulis separatus, & inflatus, quantumvis nullibi membrana ejus læsa sit; qui separandi modus à me ante viginti sex annos est inventus.

Nº. XIV. Hominis intestinum Duodenum, in quo paucae aut nullæ valvulæ conniventes communiter inveniuntur.

Nº. XV. Hepatis portio, in qua glandulæ hujus Visceris luculentissimè apparent.

Nº. XVI. Infantis caput balsamatum, lapidis instar induratum, & corona laurea (margaritis intertexta) nitidè cinctum, & sic pedamento suffultum.

Nº. XVII. Arteriæ ramus repletus, mirum in modum ramusculos suos spargens.

Repositoryum V. & infimum.

Nº. I. Foetus humanus octo mensium cum dimidio rostrum piscis Gladii dentibus asperioribus præditum humero gerens.

Ab fata, ab aspera fata!

Nº. II. Infantis quinque menses nati Sceleton, dextrâ ramum arteriæ ceraceâ materiâ infarctum elevans; sinistra verò vituli intestinis innixum.

Quid grandia molimur tenues!

Notanda.

1. In osse sterno officula solito numerosiora, imò nonnulla gemina.
2. Dentes incisorii eruptionem minantur.
3. Varia officula Wormiana inter os frontis & sphœnoidis, præsertim in latere dextro.
4. In Occipitis osse foraminulum præternaturale.
5. Nil ferè ossei in carpis.
6. In tarso verò nonnullæ cartilaginee osseam induerunt substantiam.

Nº. III. Infantis bimestris Sceleton, dextrâ gerens fasciculum florum naturalium, quorum colores admodum amœniam à plurimis annis superstites manent; prout sunt Amaranthoides Africana, Stœchas citrina latifolia, Gnaphalium, &c. Ab ejus sinistra dependet catena, cui affixus est calculus

culus ex vesica fellea humana desumptus, qui nucis moschatæ magnitudinem refert; quibus quasi exprimit juventutis florem, & senectutis spinam.

Notanda.

1. Sinus longitudinalis per fontanellam egregiè transparet.
2. Circa os pectoris idem ferè observatur ac in præcedenti.
3. Officula auditûs in sinistro latere in situ naturali visuntur.

Nº. IV. Sceleton sex mensium, è cujus dextra Margaritæ funiculo constrictæ, ut & aliæ majores dependent; in sinistra gerit concham matris perlarum ut & varias margaritas filo constrictas; cujus symbolum:

Morte linquenda Omnia.

Notanda.

1. Duo ex incisoriis dentibus in maxilla superiori proruperunt, inferiores è contra sub crassiori membrana adhuc latitant.
2. In Tarso, Talus, Calx, Os Naviculare & Tesseræ, ex parte osseam induerunt naturam.

Nº. V. Venæ brachii humani ceraceâ materiâ repletæ, in quibus variæ protuberantiæ, valvulas denotantes, apparent.

Repositoryum I.

Nº. I. Penis cum annexa Vesica ex Ove desumptus, cujus meatu urinario magna ex parte deficiente, urina sese exoneraverat per foramen in postica penis parte: qui affectus in homine aliquando quoque occurrit, & sterilitatem affert.

Nº. II. Intestinum Cæcum cum Coli portione è foetu recens nato, in quibus observatu dignum est, Cæcum cum processu vermiformi canalem esse uniformem, absque peculiari

culiari prominentia, quemadmodum in ætate provectioribus. Vid. figur. 2. Observatu quoque dignum, Ileum & Colon ejusdem esse capacitatis.

Figur. 2. Explanatio.

- A Intestini Ilei portio, ubi in Colon sese inferit.
 B Intestini Coli portio.
 C Intestini Cæci cum processu vermiformi confusio, & instar cornu arietini contorti.

Nº. III. Portio arteriæ magnæ, circa egressum è Corde abscissa, cujus valvulæ ossifactæ, coalitæ, & planè deformes redditæ. De quibus mentio facta est in Observatione 69. Vide quoque Fig. 57. Observ. 69.

Nº. IV. Intestini Ovini portio, cujus vasa repleta.

Repositoryum II.

Nº. I. Portio Coli Leporini glandulis refertissima.

Nº. II. Ureteris Equini portio.

Nº. III. Foetus humani Sceleton quatuor mensium cum dimidio, dextram in altum elevans, sinistrâ verò exiguum serpentem gerens, cujus cauda in os inserta circulum repræsentat.

Finisque ab origine pendet.

Nº. IV. & V. Renes Ovini prodigiosi, inflati & Balsamo præparati cum annexis ureteribus.

Circa hos notanda.

- I. Inter omnes dissectiones Anatomicas, quas celebravi hætenus, nunquam casum rariorem offendi; utrumque enim renem ita expansum inveni, ut uterque pintam cum dimidia liquoris contineret. Quæ extensio suborta fuit ab impedito uri-






Fig. 4.





urinæ libero exitu ad vesicam, unde renes ita sunt extensi & substantiâ adeò tenues facti, ut videantur vesicæ urinariæ, excepto utriusque extremo, ubi carneo-glandulosam retinere substantiam. Hic affectus (quoniam consistit in dilatatione & expansione enormi, ob continuum & irritum expellendi conatum) cum hernia coincidit, ac proinde jure merito Hernia renalis nominandus est.

2. Arteriarum ceraceâ materiâ infarctarum cursus naturalis in hisce expansis renibus meliùs, quàm in renibus benè constitutis, videri potest.
3. Ureteres admodum tortuosi, & circa exortum tantæ capacitatis, ut pastinacam majorem recipere possint.
4. Utrumque renem exiguo foramine aperui, ut interiora meliùs conspici possent, ubi variæ concamerationes membranofæ apparent.

Nº. VI. Vesica ex eadem Ove desumpta, quæ veram causam remoræ urinæ manifestat: si enim attendas introitum ureterum in vesicam, litteris AA denotatum, nullam visibilem reperies aperturam, attamen aliqualem fuisse ante exsiccationem, sequens probat experimentum. Per tubulum ureteribus insertum vi quadam adactus flatus, aliquatenus vesicam intrabat. Dico, *vi quadam*, quoniam flatu leviter adacto haud extendebatur vesica, propter membranulam illud impediens. Tubulo verò in vesicam inserto, statim ureteres imò & renes flatu extendebatur.

Notanda.

BB. Ureterum extrema, ubi vesicam intrare consueverunt, demonstrant, ubi consideratu dignum est, dicta extrema ita esse extensa, ut duos globulos nucis juglandis crassitie præsentent.

CC. Rotundarum & exiguarum membranarum vestigia denotant, quæ obstaculo fuere, ne urina in vesicam liberè descendere potuerit.

D. Sphincter dictæ vesicæ.

E. Vas Lymphaticum per pelvim & renem dispersum.

FF. Re-

FF. Renum extremitates, quæ glandulo-carnosam retinuere substantiam.

Nº. VII. Sceleton Embryonis humani trium mensium, sinistrâ ferens spinas ex Echinomelocacto desumptas, stellamque repræsentantes. Dextrâ verò in coelum elevatâ pro symbolo habet:

Per aspera ad Astra.

Nº. VIII. Capsula in qua annulus aureus, qui loco adamantis, aut alterius lapidis pretiosi, calculum humanum continet octangularem, in vesica, dum viveret ægra, tam affabrè politum ut mirum appareat intuenti. Vide Observationem primam, ubi inauditam reperiens historiam.

Nº. IX. Vesica Humana tribus ureteribus instructa, quorum unusquisque seorsim sese exonerat in vesicæ cavitatem.

Nº. X. Gallinæ Africanæ intestinum cæcum, per quod Striæ membranosæ variæ distribuuntur.

Nº. XI. Vituli splen à parenchymate glanduloso & ambiente membrana separatus, cujus arteria ceraceâ materiâ infarctâ.

Nº. XII. Arteria splenica vitulina repleta, & ab omnibus fibris membranaceis circumstitis separata, ita ut nuda appareat arteria.

Repositoryum III.

Nº. I. Equi, recens in lucem editi, Intestinum Cæcum, cum annexa portione Coli & Cæci.

Notanda.

i. Valvulæ Coli ita coalitæ, ut excrementorum transitus in to-

tum fuerit impeditus, unde mors subitanea suborta fuit.

2. Triplex ligamentum in Colo, sicut in homine.
3. Hinc triplices quoque sunt valvulæ conniventes in Colo, cellulas repræsentantes.

Nº. II. Intestini Ilei humani portio, in qua diverticulum satis magnum & præternaturale reperitur. Vide fig. 3.

Figur. 3. Explicatio.

A A. Intestini Ilei portio.

D Diverticulum præternaturale.

Nº. III. Hepatis vasa à glanduloso parenchymate separata, & tam affabrè concinnata, ut variis in locis ne quidem capillaria Vascula deficient.

Notanda.

A Vena cava per hepar dispersa.

B Vena portæ.

C Vena umbilicalis in ligamentum mutata.

D Ductus venosus itidem in ligamentum degeneratus.

Nº. IV. Gemellorum humanorum, sex menses cum dimidio natorum, Sceleta nivea, arteriam rubicundâ materiâ oppletam humeris gerentia.

*Nos dulcis vitæ exsortes & ab ubere raptos abstulit
atra dies, & funere mersit acerbo.*

Notanda.

1. In osse pectoris unius tria reperiuntur officula rotunda, in alterius verò quatuor.

2. Auditûs officula nondum perfectâ, luculenter in statu naturali visuntur.

3. Observatu dignum, tantum discriminis intercedere inter utriusque fontanellæ latitudinem.

Nº. V. Arteria Pulmonalis à Vesiculis pulmonalibus separata, & in ramusculos minutissimos divisa; Huic connectitur portio arteriæ magnæ à corde abscissa.

Notandum.

A Ductum arteriosum, inter arteriam pulmonalem & arteriam magnam situm, indigitat.

Nº. VI. Parieti hujus thecæ adhæret portio arteriæ pulmonalis à vesiculis pulmonalibus tam affabrè separata, ut ejus extremitates plusquam capillares optimè sint conservatæ.

Nº. VII. Foetus humani maturi Sceleton gerens arteriæ ramum, qui pectori innititur.

Cum tantum in vita restet transire malorum, liber ab his letho, lætus sine voce triumpho.

Nº. VIII. Intestini Jejuni Vitulini portio, glandulis refertissima, cujus vasa, ceraceâ materiâ sunt oppleta.

Nº. IX. Septum lucidum è Cerebro Hydrocephali octo annos nati.

Notanda.

1. Pars inferior hujus Septi infernè cerebro erat connatum, & variis in locis pertusum aut perforatum, ita ut lymphaticus humor in ventriculis contentus, ex uno ad alterum ventriculum potuerit profluere.
2. Latex aquosus in ventriculis de die in diem ita accreverat, ut pintam dimidiam & ultrà invenerim; unde cerebri substantiam diminutam reperiẽbam.
3. Totum caput in majorem molem erat extensum, futuris ita hiantibus, ut digitum facilè interponerem, quemadmodum videtis Nº. 10.

Nº. X.

Nº. X. Pars cranii è mox memorato Hydrocephalo.

Nº. XI. Vituli Splen à glanduloso parenchymate separatus, in quo arteriâ repletâ, venæ obliteratio eleganter visui occurrit.

Nº. XII. Vetulæ Uterus cum annexis Vesica Urinaria, Ovariis, Tubis Fallopijanis, Ligamentis, Intestino Recto, &c. Præterea innumerabilia vascula sanguinea per uterum dispersa, & ceraceâ materiâ infarctâ visuntur.

Notanda.

1. In sinistrum latus contractus est uterus, de quo affectu legitur Observat. 88. me scil. semel tantum hunc affectum post mortem invenisse; hîc autem secundum habemus exemplum.
2. Ovaria in nihilum ferè redacta in hac vetula.
3. Tubæ præter naturam ovariis connatæ, & occæcatæ, sterilitatem incurabilem arguunt. Vid. Obs. 83.
4. Omenti portio utero connata.

Nº. XIII. Embryonis humani trium mensium cum dimidio Skeleton, sinistrâ ferens ranæ stomachum, cum annexis intestinis inflatis.

Quid grandia molimur tenues!

Nº. XIV. Vituli Splen à glanduloso parenchymate separatus, & inflatus, cujus arteria repleta.

Nº. XV. Uterus humanus artificiosissimè Balsamo conditus, ita ut omnia naturalem magnitudinem & situm conservarent. Præterea, vesica cum annexis ureteribus inflata, naturalem capacitatem, situm, & rotunditatem, sine rugis aut foveis reservavit. In eadem vesica fibrarum cursus nitidè quoque videri possunt.

Notanda.

- a Vesicam designat.
 bb Ureterum portiones.
 c Meatus urinarius.
 d Vagina.
 e Os uteri.
 f Rugæ in superiori parte vaginæ.
 gg Ovaria.
 hh Ova.
 ii Ligamenta lata.
 kk Rotunda, potius teretia Ligamenta.
 ll Tubæ Fallopiianæ.
 mm Earum fimbriæ.
 nn Vasa sanguinea per uterum dispersa.

Nº. XVI. Leporis Parastatæ Mercurio vivo repletæ, in quibus notatu dignum est, Mercurium per vasa ejaculatoria adactum, non solum parastatas, verum etiam quædam alia vascula minutissima versus abdomen tendentia, replevisse.

Nº. XVII. Embryonis duorum mensium cum dimidio Sceleton, sinistrâ gerens asperam arteriam foetus quatuor mensium.

Quo vivamus, vivere desinimus.

Nº. XVIII. Equi Ren Succenturiatus naturalem magnitudinem & constitutionem habens.

Nº. XIX. Ventriculi humani portio, cujus pylorus anulum repræsentat, quod in ventriculis humanis semper ferè locum habere reperio.

Nº. XX. Hominis Vesiculæ Seminales ceraceâ materiâ albâ oppletæ cum annexis vasis ejaculatoriis & prostaticis.

Nº. XIX. Arteriæ ramus major ab omnibus fibris denudatus, & ceraceâ materiâ infarctus.

Re-

Repositoryum IV.

Nº. I. Ren humanus Balsamo præparatus, cujus ureter tortuosus à calculorum transitu summopere extensus est.

Nº. II. Portio ventriculi humani incisa, in qua venarum repletarum cursus luculenter videri potest.

Nº. III. Senis decrepiti caput osseum nitidum, & propter alveolorum in nihilum redactionem edentulum, pedamento insistens.

Nº. IV. Gigantis os syncipitis sinistrum, cujus dextrum reservatur in Museo Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi-que Viri D. J. Witsen augustæ Amstelodamensium Republicæ Consulis, & Studiorum omniumque bonorum Mæcenatis eximii.

Notanda.

Tam prodigiosæ magnitudinis dictum os est, ut integro hominis capiti pro galea inservire possit, quod ansam dedit nonnullis dubitandi, an hominis, an verò quadrupedis majoris esset os syncipitis. Verum enim verò consideratis considerandis palam fiet, humanum esse. Libitinarius Templi Novi hujus civitatis dixit nobis sese illud inter alia ossa effodisse, cujus curiositas tanta non erat, ut cætera quoque reservaret. Præterea in omni convenit cum osse syncipitis humani, solâ magnitudine exceptâ. In eo ossiculum Wormianum magnum reperitur, Arteriarum vestigia aut sinus in interiori superficie hæud quoque deficiunt. Præterea nullius animalis quadrupedis caput osseum tanta gaudet cavitate, ne quidem Elephantis, cujus caput olim ferrâ aperui.

Nº. V. Magna portio intestini Coli ex homine desumpta, in cujus extremo contorsio mirabilis.

Nº. VI. Vesica humana, in qua obliquæ insertiones ureterum clarissimè apparent.

Nº. VII. Intestini Coli & Ileii portio, in qua circulos Coli semilunares, seu valvulas conniventes triplices esse, ex triplici ligamento videmus.

Nº. VIII. & IX. Vitulorum Lienes à parenchymate glanduloso separati, & inflati, ut supra quoque innuimus. Si Lienem Nº. 7. respicias, venæ obliteratio, quamprimum ea lienem intravit, optimè apparebit.

Nº. X. Ren humanus in totum ferè consumptus, in quo pelvis tripartita est, & ureter summòpore dilatatus.

Nº. XI. Asperæ arteriæ humanæ portio operi medium diffecta, ut annulorum constitutio lumini opposita melius conspiceretur.

Notanda.

1. Asperam arteriam partim esse cartilagineam, partim membranaceam, omnibus constat; sed verò circa partem cartilagineam videtis varias bifurcationes in utroque extremo, quod notatu dignum existimo.
2. Partem membranosam asperæ arteriæ œsophago connatam fibras obtinere secundùm corporis longitudinem exporrectas, & abbreviationi dictarum partium destinatas, hîc quoque luce meridiana clariùs constat. Vid. figur.

Nº. XII. Duo Renes cum ureteribus, è cadavere juvenis desumpti, & Balsamo conservati, in quorum pelvibus ut & tubulis Renalibus calculi ingentissimi hærent. Vid. Observ. 95.

Nº. XIII. Gemellorum placenta uterina duplex.

Notanda.

Vasa unius ceraceâ materiâ albâ referta sunt, alterius verò rubrâ, & sic eadem sese invicem interfecerant, sine ulla tamen connexionè, aut inosculatiõne, non aliter ac radices fibro-

fibro-

fibrosæ variarum herbarum, proximè sibi adfitarum, sibi invicem cohærent. Atque talis structura toties mihi occurrit, quoties duæ placentæ uterinæ sibi invicem accumbunt.

Nº. XIV. Septem mensium foetus Sceleton, jaculo ictum minans.

Damna quidem celeres reparant coelestia Lunæ:

Nos ubi decidimus,

Quo pius Æneas, quo Tullus dives & Ancus,

Pulvis & umbra sumus.

Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina Lunæ:

Tempora Di superi?

Repositoryum I.

Nº. I. Offis humeri pars superior ab humoribus acrioribus ita exesa, ut ante obitum plane à parte inferiore esset separata. Vide Observ. 81. ubi Tumoris ossivori mentionem feci.

Notanda.

Quod dolor exiguus admodum fuerit in principio, ut æger ipse nobis retulit: aliquot tamen septimanis ante obitum intolerabili dolore fuerit vexatus.

Nº. II. Octo dierum puerperæ Uterus cum annexis Tubis, Ovariis, Ligamentis, Vagina, & Vesica.

A Corpus uteri valdè adhuc crassum & latum.

B Os uteri internum.

CC Tubæ Fallopiianæ cum fimbriis,

DD Teretia ligamenta.

EE Ute-

- EE Uteri Ligamentâ lata.
- F Vesica admodum exigua, quemadmodum eam inveni; nec flatu magis extendere volupe fuit.
- G Vasa sanguinea per vesicam distributa, ubi consideratu dignum, tot vasa in interiori superficie, & quidem in infima parte reperiri, & præsertim circa sphincterem ejus, ut mirum non sit, calculosos facillimè incidere in sanguinolentam mictionem propter calculorum attritionem.
- H Meatus urinarius.
- II. Ovaria.
- KK Ureterum portiones valdè distentæ.
- L. Vagina.

Nº. III. Utero dicto incumbit Sceleton quatuor mensium, brachiis extensis vesicæ cavitatem & innumera vasa quasi inspiciens pro symbolo habet:

Quo minimè credis gurgite piscis erit.

Nº. IV. Pueri triennis Intestinum Cæcum cum processu vermiformi, ut & valvulis Coli.

Nº. V. Idem è puero novem annorum.

Nº. VI. Leporis intestinum Colon, cujus tunica interior, loco valvularum conniventium, circularis seu cochleæ instar sese habens.

Nº. VII. Ejusdem animalis Colon intestinum cum annexo Cæcò, glandulis scatente, undè intrinsecè planè glandulosum apparet Cæcum intestinum.

Nº. VIII. Placenta uterina foetus septem mensium, cujus vasa tam affabrè infarcta, ut extrema variis in locis solo microscopio propter tenuitatem oculos incurrant. Prætereà observatu dignum, sanguinem in arteriis umbilicalibus contentum quasi in globulos separatum sese exhibuisse, quemadmodum materia ceracea post repletionem jam quoque repræsentat, ita ut credam arterias in tot cellulas fuisse divisas; quod

quod nunquàm antehac observatum neque ullibi me legisse memini.

Nº. IX. Portio intestini Ilei, cujus vasa repletà ; variis quoque in locis calculi inveniuntur, quos glandulas lapidefactas esse nullus dubito, propterea quòd pluries hoc observarim in equinis intestinis, idque circa glandularum acervum, inter quas nonnullæ benè erant constitutæ & nonnullæ lapidefactæ.

Nº. X. Portio Coli intestini circa Rectum, ubi nullæ cellulæ apparent.

Repositoryum II.

Nº. I. Vesicula fellea bovina inflata, & Balsamo ita præparata, ut naturalem formam semper retinere apta sit.

Nº. II. Hominis Larynx cum osse Hyoide.

Nº. III. Rhombi piscis spina dorsi, cujus processus magna ex parte fuerunt fracti, & postea ferruminati.

Nº. IV. Capsula calculis humanis repleta.

Nº. V. Leporis stomachus, in quo observatu dignum est, introitum & exitum sibi invicem tam propè adstare; id quod in leporibus communiter observamus.

Nº. VI. Portio extremæ partis intestini Coli, cujus vasa ita infarcta ut totum rubeat intestinum.

Notanda.

1. In hac extrema parte intestini Coli. nulla ligamenta secundùm longitudinem exporrecta apparent; eaque de causa nullas cellulas aut valvulas conniventes hîc reperies, nec unquam in statu naturali reperiuntur.

2. Lit. A. chartula extremitati adsita, utriculos, seu vasorum cellulas indigitat. Arteriæ hîc finem facere videntur, & sanguinem in dictas cellulas deponere, qui sanguis, ex iisdem

- cellulis redx à venularum extremitatibus, in dictis cellulis radices quoque agentibus, fuscipitur. Dictæ cellulæ in arteriæ repletionem quoque sunt infarctæ, undè rotundæ arenulæ instar, & rubræ nobis microscopii beneficio obveniunt.
3. B Vasorum vascula, quæ innumerabilia sunt, demonstrat.
 4. Chartula Lit. C. membranaceas appendiculas designat, quæ in obesis copiosa pinguedine gaudentes, & ab exteriori membrana dicti intestini dependentes, multa obtinent vasa sanguinea; à nemine hæctenus delineatas. Vid. fig. 5.

Figur. 5. Explicatio.

A Arteria mesenterica.

a a Arteriarum mesentericarum arteriæ.

B Membranæ adiposæ (ut ita loquar) ab exteriori membrana intestini Coli dependentes, & vasis sanguineis materiâ cereâ infarctis scatentes.

Nº. VII. Ovulum cortice duriore obductum, & in ovario gallinaceo inventum. Hoc pluries contingere demonstrant nobis Observationes curiosæ Harvæi, Bartholini, Corn. Stalpart vander Wiel, aliorumque Virorum de rebus Anatomicis & Medicis benè meritorum.

Nº. VIII. Quatuor mensium foetus Sceleton, sinistrâ tenens fasciculum vasorum Lymphaticorum ante viginti & quinque annos è corpore desumptorum, inflatorum & ita conservatorum, ut valvulæ luculenter appareant.

Difficilia quæ pulchra!

Nº. IX. Pedamentum in quo insistant:


1. Pueri vena jugularis inflata, & ab una parte aperta, ut vera valvulæ constitutio immediatè ostendi posset.
2. Exigua venæ portio inflata & ab utraque parte aperta, in cujus cavo simplex valvula, sanguinis regressui in totum non resistens. Prætereà in eadem exortus cujusdam ramuli cum ejus annexa valvula visui sese exhibet.

Fig. 5.



1870

...



Nº. X. Vasa-Lymphatica inflata, exsiccata, & post exsiccationem ab una parte abscissa, ut valvulæ immediatè viderentur.

Nº. XI. Alveolus ligneus, in quo membrana Amnios nitidè præparata.

Nº. XII. Ovum gallinæ prodigiosum.

Repositoryum III.

Nº. I. Vituli recens nati Vesica cum annexo Uracho pervio.

Nº. II. Hominis portio intestini Ilei & Coli, cum annexo processu vermiformi.

In iis notatu dignum, Colon intestinum, post prægressam herniam inguinalem prodigiosè fuisse extensum, id quod in herniosis pluries me observasse memini.

Nº. III. Lien humanus admodum ingens, & ab omni parenchymate glanduloso separatus, cum annexa stomachi parte.

Notanda.

1. Nullis fibris transversis, quemadmodum in liene vitulorum & ovium, gaudere lienem humanum, hîc apparet.
2. Vena splenica Lit. A prodigiosæ capacitatis est, quod pluries observo in liene præter naturam extenso.
3. Curfus aut progressus arteriæ splenicæ Lit. B admodum tortuosus.

bbb Dictorum vasorum capillares ramusculos indigitant.

4. C Arteria per Omentum dispersa & Epiploica dicta.

5. D Arteria Hæmorrhoidalis.

6. E Venæ & arteriæ per stomachum distributæ, Vasa brevia dictæ.

7. F Pars stomachi sinistra.

8. G Stomachi introitus, Os sinistrum dictus.

9. H Pars Gulæ.

Nº. IV. Pedamentum supra quod Renes humani & omnis generis calculi variis exiguis pedamentis insistentes, reperiuntur.

In hoc pedamento magno Lit. A indigitatur Ren humanus tam artificiosè Balsamo conservatus, ut naturalem magnitudinem, latitudinem, & crassitiem conservaverit.

Notanda.

Lit. a a Vascula sanguinea per dicti Renis superficiem dispersa, & infarcta, commonstrant.

b Arteria renalis s. emulgens ceraceâ materiâ oppleta.

c Ureter leviter inflatus ut naturalem capacitatem conservaret, in quo nulla subsidentia, aut fovea præternaturalis, seu rugæ inveniuntur: sed tam artificiosè conservatus, ut nullo modo à naturali uretere in corpore adhuc existente, & urinâ repleto, recedat.

d Vascula sanguinea per dictum ureterem disseminata & repleta.

B Ren humanus maxima ex parte in corpore extabefactus cum annexo uretere.

C. Ureter humanus admodum (propter calculorum transgressum) extensus, in cujus pelvi calculus instar majoris radicis Zinziberis. Vide Observat. 56.

D Portio ureteris cujusdam filiæ, ob calculum in eo hærentem denatæ.

E, F, G, H, I, K, L, M, N. demonstrant varia pedamenta exigua diversis calculorum generibus instructa.

Nº. V. Vituli aspera arteria cum ramusculis materiâ rubrâ infarctis, & tam artificiosè præparatis, ut naturalem situm representent.

Nº. VI. Abortus quatuor mensium Sceleton, dextrâ gerens cystin felleam cujusdam foetus abortivi.

Nympharum in gremio debuit ille mori.

Nº. VII. Portio Coli, Cæci, & Ilei è corpore humano.

Notanda.

A Coli portio, quam circa Cæcum aperui, ut duæ Coli, f. Ilei valvulæ veræ, ut & triplices valvulæ Coli conniventes, & cellulas Coli producentes, conspici possent.

B Processus vermiformis intestini Cæci admodum exiguus.
bbb Ilei glandulæ singulares.

Nº. VIII. Foetus sex mensium Stomachus cum omnibus annexis & inflatis intestinis.

Nº. IX. Caput osseum humanum nitidissimum pedamento insistens.

Nº. X. Vituli portio Mesenterii, cujus vasa repleta.

Nº. XI. Jejuni intestini humani portio, in qua valvulæ conniventes affabrè visuntur.

Nº. XII. Vituli Vesica fellea bifida, ab aliis incongruè duplex habita. Vid. Observ. 90.

Nº. XIII. Intestini vitulini portio, in qua glandulæ miliares numerosissimæ apparent.

Nº. XIV. Hominis Vesicula fellea, in cujus fundo aliquot diverticula, inque his calculosam substantiam inveni.

Nº. XV. Jejuni intestini humani portio, cujus non solum circuli aut valvulæ conniventes eleganter in oculos incurunt, verum etiam earum vascula sanguinea ceraceâ materiâ oppleta.

Nº. XVI. Foetus humani quatuor mensium cum dimidio Sceleton, dextrâ tenens racemum piperis nigri; ita demon-

strans, quomodo racematim crescat piper nigrum; sinistra
verò minutissimam candelam gerens.

Vita hominis, lumen sub dio positum.

Nº. XVII. Ramus asperæ arteriæ ceraceâ materiâ albâ reple-
tus, cum annexo ramusculo arteriæ bronchialis, & arteriæ
pulmonalis, quæ arteriæ, variis in locis, per Anastomoses
conjunguntur: imò cum dictam arteriam pulmonalem ma-
teriâ ceraceâ replem, arteria bronchialis simul quoque
eandem admittebat.

Notanda.

a Arteria Bronchialis.

b Arteria Pulmonalis.

c c Anastomoses.

Nº. XVIII. Calculus humanus ab Abrahamo Cypriano Med.
Doct. & Lithotomo expertissimo exfectus, cujus superfi-
cies inæqualis, morum repræsentat maximum.

Nº. XIX. Calculus humanus pugni magnitudine.

Nº. XX. Ramus venæ portæ ex hepate humano, cujus ra-
musculi partim repleti, partim vacui, nitidissimèque à
glanduloso parenchymate separati sunt.

Nº. XXI. Portio Stomachi humani cum pyloro, qui cir-
culi instar.

Nº. XXII. Embryo grani fecalis magnitudine cum annexa
placentula, & funiculo umbilicali, jam à viginti quinque
annis conservatus, & induratus.

*O dementiam credentium ex hisce primordiis ad
superbiam se genitos!*

Nº. XXIII. Portio Coli è puero tres circiter annos nato, in qua valvulæ Coli cum annexo Cæco & processu vermiformi.

Notanda.

Lit. A Valvulas Coli designat.

B Intestinum Cæcum, quod ab adultorum Cæco valdè differt.

C Vermiformem processum glandulis refertum.

Nº. XXIV. Portio intestini Ilei humani, cujus tunica externa ab intima, flatu dehiscit, unde intrinsecum reticulatum apparet.

Nº. XXV. Foetus humani trium cum dimidio mensium Sceleton, gerens in capite ut & dextra manu Pajaneli femina miranda.

Ab Utero ad Tumulum.

Nº. XXVI. Foetus humani maturi Sceleton nitidissimum, cujus caput osseum ferrâ apertum, ut intrinsecum exactissime in conspectum produceretur.

Hæc mihi prima dies, hæc mihi summa fuit.

Repositoryum IV.

Nº. I. Pueri Octo annos nati Sceleton nitidissimum, cujus ossa nivis instar albicant; innititur scipioni, & pro symbolo habet:

Huc

Huc cursus fuit.

Notanda

1. Patellæ in sui medio tantum ossificatæ, in ambitu verò cartilagineæ.
2. Omnes epiphyses cartilaginis beneficio, veris partibus ossium ubique adhærent.
3. Tarsus, & Carpus ossificati.
4. Ossa Innominata è tribus partibus constare hîc luculenter apparet.
5. Epiphyses Corporibus vertebrarum adhærere, hîc palam est, præsertim in inferiori spinæ parte.
6. In Sterno octo officula rotunda.
7. Officula auditûs proprium locum adhuc occupant.
8. Processus Styloides cartilaginei.
9. Utraque maxilla dentibus omnibus niveis instructa.

Nº. II. Sceleton humanum nitidum, unius circiter anni cum dimidio, dextrâ sphæram gerens.

Est avido transmissus Olympo, non optans tot sæcula nosse, tot numerare dies.

Notanda.

1. Carpus cartilagineus.
2. Tarsus maxima ex parte osseus.
3. Patellæ in totum cartilagineæ.
4. Epiphyses ossium Femoris magna ex parte cartilagineæ.
5. Sternon octo officula rotunda obtinens.
6. Circa basin scapularum epiphyses cartilagineosæ observantur.
7. Idem reperitur circa spinam ossium Ilium, quæ magna ex parte, cartilaginea.
8. Omnes Trochanteres f. Rotatores spurias esse apophyses non est dubitandum, quia in hoc ut & aliis junioribus Sceletis, cartilaginis beneficio veræ ossis parti connascuntur.
9. In osse syncipitis sinistri lateris duo foramina præternaturalia.

10. Trans-

10. Transversos processus ossis sacri cartilaginis ope connatos esse in infantibus, hîc constat.
11. Ossa innominata ex tribus partibus esse comôpsita, hîc etiam videmus.
12. Fontanella adhuc fatis magna.

Nº. III. Sceleton humanum nitidissimum unius circiter anni, sinistrâ spicam ingentem Milii Indi ferens, cujus grana semen Coriandri magnitudine adæquant.

Proh Dii immortales, quam optabiliter iter illud ineundum est, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura est!

Notanda.

1. Per superficiem exteriorem ossis frontis circa ejus medium Sinus longus decurrit, in quo vas sanguineum notabile reconditur. Hoc in capitis incisione observandum, ne lædatur illud; semper enim dictum vas ibi reperies, quantumvis sinus in cranio deficiat. Quando in prima conformatione vas illud tam profundum habet situm, ut talem sinum efformare possit in cranio tenerrimo & molli adhuc existente, tunc solummodo occurrit Sinus dictus. In cæteris reperit dictum vas paulò sublimius, nullum sinum in cranio efformans.
2. Processus summus, Humerus dictus, in utraque scapula planè cartilagineus, veraque epiphysis est.
3. Fontanella admodum exigua in hoc Sceleto.

Nº. IV. Sceleton humanum candidissimum septem circiter annorum, scipioni innitens.

Vixi, & quem dederat natura cursum peregi.

Theca E & F.

Triginta & quatuor Herbaria viva trium ferè annorum spatio
Y à me

à me confecta continent : scilicet ab eo tempore, quo Nobilissimi & Amplissimi Dnn. Consules Amstelodamenses Professionem Botanices in me contulerunt. In iis omnis generis plantæ, tam indigenæ quam exoticæ, nitidè à me exsiccatæ & conservatæ sine numero reperiuntur.

Repositoryum I.

Nº. I. Uterus Ovinus cum annexa vesica.

Repositoryum II.

Nº. I. Brachium humanum cum musculis ritè separatis, & jam ab annis viginti & quinque Balsamo conditis.

Nº. II. Utrumque Os Tibiæ cum fibulis, è Cæmeterio mihi allatum; quorum ossium partes inferiores supra juncturam aut ferrâ aut alio instrumento, dum viveret homo per infortunium amputatæ sunt. In iis notatu digna occurrunt:

1. In ferruminatione utrumque os in utroque latere circa amputationis locum esse coalitum.
2. In omnibus dictis ossibus eo in loco ubi membrana illa crassa reperitur, (cujus beneficio utrumque os secundum longitudinem copulatur) innumerabiles exostoses videri: An propter alimenti exuperantem copiam, utroque pede amputato?

Nº. III. Portio intestini Coli humani, cujus cellulæ (ligamentis cultello dissolutis) in totum obliterated sunt. Unde constat cellularum constitutionem à ligamentis per longitudinem dicti intestini procurrentibus dependere.

Nº. IV. Brachium humanum, cujus musculi scalpello separati Balsamo conservati sunt à pluribus annis.

Notanda.

Chartularum literæ quemque musculum indigitant.

A Musculus palmaris.

B Flexor carpi interior.

C Flexor carpi exterior.

D Flexor secundi internodii, seu perforatus, qui in quatuor partes carnosas sese separat, & sic ulterius quatuor tendinibus magna ex parte inseritur in quatuor ossa secundi internodii, pollice excepto, utpote peculiari musculo prædito.

E Extensor carpi interior.

F Extensor carpi exterior.

G Pronator teres.

H Pronator quadratus.

I Supinator longior seu primus.

K Supinator brevis.

L Pollicis tertium internodium flectens.

M Flexor tertii internodii digitorum S. Perforans.

N Primi internodii pollicis flexor primus.

O Primi internodii pollicis flexor secundus.

P Secundi internodii Pollicis flexor primus.

Q Pollicis tertium internodium extendens.

R Secundi & tertii pollicis internodii extensor.

S Primus digitorum extensor, tertium & secundum os (ut Spigelius vult) extendens. Verùm ego existimo omnes digitos pollice excepto ab eo extendi, imò secundum extensorem Lit. T. insignitum huic musculo etiam esse annumerandum, & neutiquam ab extensore digitorum primo separandum.

T Secundus extensor (ut Spigelius vult) qui ossa minimi digiti extendit; mihi verò portio primi extensoris esse videtur.

V Primum internodium flectentes, seu Lumbricales musculi.

W Biceps musculus.

X Flexor cubiti secundus s. Brachialis.

Nº. V. Pueri Diaphragma cum annexo pericardio.

Notanda.

1. Dimidia ferè pericardii pars, tantam habet cum diaphragmatis parte tendinosa affinitatem, ut unum videantur corpus; imò ab invicem haud separari possunt sine dilaceratione. Contrarium videmus in canibus, ovibus, cæterisque animalibus, in quibus dictæ partes, à se invicem magis separatæ comparent.
2. Dictum pericardium, suam naturalem formam & capacitatem retinuit in balsamatione.

Nº. VI. Maxillæ superioris portio ex ove desumpta, per quam ductus lachrymalis transit.

Notanda.

- A Particula orbitæ.
- B Principium ductus lachrymalis.
- C Finis ejus in infima naris parte.

Nº. VII. Eadem è corpore Bovino desumpta.

Notanda.

- A Duo puncta lachrymalia, quæ oscula sunt, per quæ oculorum latex aquosus ad ductum lachrymalem derivatur.
- B Bifurcatio ejusdem ductus, ut ex utroque puncto lachrymali humorem hauriat.
- C Finis dicti ductus in infima naris parte.

Nº. VIII. Phiala portionem Lumbrici lati in liquore continens.

Nº. IX. Hydatis ingens ex hepate humano desumpta.

Nº. X. Testes viriles, quorum vasa repleta.

Nº. XI. Renis humani portio, in qua renales ductus copiosissimè conspiciuntur.

Nº. XII. Foetus octimestris Sceleton humanum sinistra gèrens os femoris Anatis post fracturam ferruminatum.

Editus in lucem, jacui sine viribus infans.

Nº. XIII. Ejusdem ferè ætatis Sceleton humanum saltum per funem minans, in quo illi loco funis Plica Polonica est.

Communis ad Lethum via.

Repositoryum III.

N. I. Embryo trium circiter mensium in liquore conservatus, cujus funiculus umbilicalis filum tenue repræsentat, quod mihi indicio est dictum embryonem aliquot diebus ante partum fuisse denatum. Id quod minus periti non videntur observasse, qui in omni occasione, placentularum extractionem in embryonibus, ita commendant, ut pessimè ab iis audire debeant, si hoc omni tempore præstare nequeant.

Nº. II. Cor humanum magnum, à longo tempore tam affabrè conservatum, ut hodie è corpore videatur sectum.

Nº. III. Quatuor mensium Foetus humanus, membranis involutus & nitidè conservatus.

Omnis Dies, omnis hora vitam nostram carpit, omnè denique momentum.

Quàm nihil simus ostendit.

N^o. IV. Leporis intestinum Colon , cum annexo Cæco & particula Ilei, pedamento insistens.

Notanda.

1. In Ilei fine, ubi Cæcum inferitur, diverticulum reperitur glandulis refertissimum, Vid. Lit. A.
2. In Cæci fine, appendicula glandulosissima, B.
3. Glandulæ innumerabiles in intestino Colo, C.
4. In eodem pedamine seorsim reperitur diverticulum glandulosum supra memoratum. D.

N^o. V. Hominis integra Spinalis medulla.

N^o. VI. Particula Stomachi ovini, cujus intrinseca superficies interiorem superficiem capitis papaveris repræsentat.

N^o. VII. Ovum humanum foecundatum, quod in utero per aliquot dies moram contraxit; quod satis liquet ex superficie exterioris tunicæ dicti ovi, quæ fibrosa, & placentæ rudimentum est.

Notanda.

Me illud hætenus in liquore reservasse, & ne quidem humorem in interiori tunica, quæ amnios audit, neglexisse, in cujus medio mihi videor (cælo sereno existente) observare corpusculum rotundum, magnitudine capitis aciculæ minoris.

Omnia ex Ovo!

N^o. VIII. Embryo magnitudine majoris feminis Pæoniæ, cujus caput, respectu corporis, prodigiosum. Funiculus Umbilicalis pollicem longus, totius embryonis crassitiem adæquat; præterea observatu dignum est, placentulam tantæ esse magnitudinis & crassitiei, ut ne quidem foetus trium mensium majorem obtineat.

N^o. IX.

Nº. IX. Quatuor mensium embryonis sequioris sexus pudendum, primâ fronte masculini sexus pudendum repræsentans, quod pluries antehâc observavi.

Nº. X. Placentæ portio in hydatides innumerabiles degenerata.
Vid. Observ. 33.

Nº. XI. Fœtuum varii pulmones, in liquore fundum petentes; quod certissimum indicium, omnes istos fœtus ante partum fuisse denatos, & nunquam respirasse.

Nº. XII. Pullus gallinæ duobus rostris præditus.

Nº. XIII. Pueri Stomachus cum omnibus intestinis mesenterio & mesocolo annexis.

Nº. XIV. Eadem è puero septem circiter annorum.

Notandum.

In iis distincta separatio apparet inter intestinum Jejunum & Ileum. In Ileo enim nullæ valvulæ conniventes, seu circuli, quibus Jejunum est refertissimum.

Repositoryum IV.

A. N. C. MDCCXXV.

Prid. Kal. Novembr.

TRACTATIO ANATOMICA.

Lector Amice!



Ova Tibi de novo profero, precibus tuis saepius fatigatus, ut Belgico idiomate legenda praeberem scripta mea, quae haecenus Latino sermone fere prodire, cum deficiente cognitione, nil tibi rerum mearum fructus accesserit.

Ne ergo petitis tuis amicis aequae ac justis ulterius deessem; hinc te brumali hoc tempore de uno alterove instruam, de omnibus superfluum iudicans.

Quodsi innumerabilia illa benefacta, quibus omnipotens rerum Moderator, immeritum me a primis usque unguiculis onustum reddidit, & qui indigne ea compensaverim, mecum reputo; admiratione totus corrumpor, in omnibus susceptis laboribus DEI auxilium praedicans.

Sexaginta iam, & quod excurrit, anni praeterfluxere, cum investigandae inscrutabilis machinae Microcosmi, id est, machinae humanae, tanto amore incumberem, tantoque successu prosequerer, ut trium annorum spatio omnes me iam aliis profitentem audirent.

Instrumenta tum temporis usitata, reique demonstrandae accommodata, varii erant cultelli, forfices, catheteres, unci, cauteria actualia, sanguinem coercentia, ut & tubuli cuprei, quae mihi multum inserviisse, ut & adhuc inserviunt, lubens profiteor.

Longo annorum decursu his instrumentis usus fui, donec *Vir Celeberrimus, amicus amantissimus, Dr. Regnerus de Graaf* prodiret, qui novo plane siphone invento utebatur, *in Tract. de Organ. Generat. inservientibus*, delineato, quo instrumento vasa sanguifera spiritu, liquoreque varicolore iniiciebat, ut sanguinis motum eo melius observaret, id quod, novum

adhuc existens, multorum approbationem invenit, posthac vero reiectum fuit, eo, quod materia infusa continue praeterflueret.

Post hunc, fatis iam functus *Dr. Joannes Swammerdam* inclarescebat, cui siphon, priori absimilis, sequenti modo inveniebatur: loco spiritus liquorisve varicoloris materiam quandam calefactam in vasa sanguifera imprimebat, quæ, in iis spissata, eructationem inhibebat.

Hoc invento illud sibi gratulari poterat, quod venas & arterias capillares, vel in ipso vultu conspicuas redderet; nova vero inventionis suae structura hoc non solum efficiebat: mysterium propius scrutemur, vasa enim capillaria diu iam, invento hoc nondum provulgato, visa erant, unde & *vasa capillaria* dicebantur, id est, vasa subtilissima. Nova haec ars eo tempore detegebatur, quo *Tractatus* nunquam satis laudandos, *de Respiratione, de Apibus, & de Insectis* publico exhibuisset.

Hic in Anatomicis pedem figebat, & mundana rejiciens, vitam piam & solitariam agebat, ut ex Operibus ejus videre licet, & quamvis multis precibus sollicitaretur Anatomem prosequendi, a proposito tamen suo ne latum unguem discedebat, donec DEO IUBENTE ad coelestia transfiret.

Quamnam igitur materiam, *Vir piae memoriae*, in infusione vasculorum adhibuerit, notum mihi non est, nec mihi quicquam dixerat: Ego interim, DEO providente, materiam inventam, & feliciter successam, mihi gratulor, ita ut non solum infundam, ut supra dictum fuit, vasa capillaria, sed & ea subtilitate praeparem, ut texturae araneae similia appareant.

Hic errores detegebantur, quos in Operibus *summi* illius *Malpighii* legere potes, qui, vasorum extremitates in machina humana videri non posse, autumabat: quod insuper diu desiderabatur. Nunc eas videre, & extrema eorum tangere licet; nunc quoque in quo cespitaverint alii, observamus, cuius cognitionis sufficientis Anatome cadaverum, per tot retro lustra dissectorum, certiores nos reddere haud poterat.

Haec non sunt verba Thraonica, sed absoluta veritas, imo beneficium Creatoris sapientis maximum, quod populo suo revelavit!

Hisce adductis mortuum cadaver quasi resuscito, id est, ita omnibus apparet, ac si in statum naturalem transmigraverit, illudque a me non vanam iactantiam putes!

Milleni hominum semper viderunt, & admirationis vocula, *Obstupeo!* attoniti haeserunt. Obiectis meis nil nisi animam deesse comperies, membra moveri possunt, cuticula, carnosae substantia, pinguedo una cum intestinis naturalia apparent, & nitore suo, ac in vivo subjecto, corruscantia.

Ah! magnum de *Domino DEO nostro*, beneficium! tam diu in tenebris palpitasse, & iam praesenti magno lumine affulgi! *Sursum corda!* grates persolvite cuncti!

I N S T R U C T I O

Detectae huius Artis.

Multi praeterlapsi sunt anni, cum ad hominem morti proximum inviserem. *Nitorem faciei*, quavis hora debiliorem observabam; cogitabam statim, num non intestina huius, aliaeve partes, naturali sua facie privarentur? Dictum! Factum! opera adhibita res ita se habebat; haec enim admodum exiguae molliculae, post sui destructionem collapsae, oculorum nostrorum aciem superfugiunt; arte vero mea praeparatae, vivaë & suaves apparent, ac si nobiscum ita loqui vellent: Diu de nobis absque rei veritate disputatum fuit, iam externam & internam, superiorem inferioremve fabricam contemmini, loquimini structuram & modum, quomodo nocte dieve conservationis vestrae ergo mandata officia stabili obsequio exsequamur.

Quum igitur cadavera mea in statu ceu perfecte viventis conserventur, vultu in genis nullis rugis obducto, sed naturali suo nitore rutilanti, hinc obiiceret quis: Nonne fuco superducta sunt objecta? R. Non faciem solum, sed annexam quoque omnium externarum & internarum partium fabricam, ac in vivo subjecto florido, observare licebit: quaeso, num omnia haec fuco superducere vales? Porro; ex his coniecere poteris, operi hocce meo adversarios multos insultasse, quaerulantes, contradicentes, scommata eructantes, multasve censuras iniquas divulgantes.

Scripserat mihi Professor quidam, petens, ab ulterioribus novitatibus publico committendis desisterem, & his assentirer, quae antiquitus immobilis & absolutae veritatis nota donata fuere; imo expertus, intentum scopum non obtinuisse, ut mentem & principia mutarem, reiterabat literas suas, labores meos *contra Professoris dignitatem* esse somnians. Respondebam: VENI! ET VIDE! non venit, sed ad coeleste domicilium migrabat.

Expendenti mihi omnia singularia arcana, quae *Numen Divinum*, me interprete, orbi patefacere voluit, non sunt miranda bella illa intestina, repetitis vicibus adversus me enata, ut, fervore exaestuanti scripta mea legentes, mecum congressi fuerint, & vel haec libris suis indi curaverint: Oculos mihi ex orbitis meis eruendos prius mallet, quam *hypotesibus Ruyschianis* calculum adderem, donec tandem post quatuor vel quinque septimanas, literis ad me datis, arma iniusta deponerent, prava illa iudicia excusantes, seque iam ab aliis de demonstrata rei veritate victos & vinctos esse, indicantes.

Et sane res non parvi momenti erat, publice adserere, corticem cerebri nullis glandulis constare, sed esse systema mollium vasculorum: Nemo hoc unquam audiverat nec legerat, mollem illam materiam, amylo albo cocto similem, foliis dici posse vasis constare.

Error saltem erat ex incredulitate proveniens; alii contra, ex odio & invidia iudicia ferentes, hanc veritati meae censuram anilem ore & scriptis tribuebant; *Ruyschius* dicit nullas glandulas in corpore humano inveniri. En! nugas! figmenta! Ulterius, *Ruyschius destruit arte sua glandulas*. Haec & similia iniqua sunt malevolorum iudicia!

Quid? quod obloquuntur etiam, particulas arte mea in aliam substantiam & preaturnaturalem statum redigi; nec hoc veritati convenit. Hae pluresve objectiones hoc a me responsi habent: VENITE! ET VIDETE! Adversarios vero omnes brevi fere temporis intervallo invicem fatis functos esse, mihi prae ceteris mirum videtur. Vah! requies dissidiorum maxima!

Haud ita pridem Tractatum quendam legens, errores non exiguos reperi. Auctor, artis meae mentionem iniiciens, non *Ruyschium*, sed *Swammerdamium*, inventorem defendebat.

Fabulae

Fabulae hae sunt, cum nullum unquam cadaver, ad vivum praeparatum, demonstrarit.

Tectum hoc per secula arcanum Numini Divino me auctore orbi communicandum placuit, cuius etiam soli gloriae non sine grata mente refero.

Non facile memoria excidet opera illa arti meae impensa; iam inventa, plura sese mihi miracula in corpore humano Indies offerunt, de quibus charissimus amicus, *Swammerdam*, nil dixerat. Nulla dies abiit, qua non mutua amicitia conjunctissimi collocuti sumus, ast nec mihi, nec ulli quicquam de hoc retulisse, libere fateor.

Inaudita haec, primo mihi demonstranti, incantationes omnibus fuisse, & in nonnullis oris nullam plane approbationem invenisse, dolebam, quae vero turbae sopitae iacent.

O! quam parum sine artis meae inventione de vasis sanguiferis notum erat; adferebant, arterias sanguinem in omnes corporis nostri partes in sustentationem influere, quem venae regerentes rursus peterent, & continuo illo circulari motu cordi insinuarent: dicebant, venas simplici, arterias contra duplici tunica involvi, id quod in tantum verum censeo. Tertio, venas valvulis, arterias nullis constare, quod falso adseritur, cum etiam in arteriis, circa cor reptantibus, observatae fuerint.

His paucis coeci illi Magistri viam nobis indicasse, gloria-bantur: Quanta ergo luce nunc nos innumeris his *Creatoris* benefactis collustratos esse, sentimus; quod tibi, L. A. dilucidius explanaturus sum.

Primo: Quamvis antecessores nostri in perscrutanda vasorum sanguiferorum fabrica (pro quo grates promeruerunt,) vel Herculeos sustinuerint labores, fines tamen eorum detegere haud valuerunt, cui vero multum subest. Hos ego per infusionem observabam, ut nunc plurimos, subtilitate tomenti & telae araneae instar, evanescere videas: alios e contrario in *Pulpam*, in nonnullis partibus *Vasculosam* permisceri, demonstro. Antiqua lex obtinet: *Praesentemque refert quaelibet herba Deum*. Nonne hanc extremitatibus vasorum sanguiferorum iure applicare poterò, telam araneae subtilitate mire exili supergredientibus? Quae tota nocte dieve, nullo otio intermisso, occupata sint necesse est, ad conficienda, secernendaque ea,

quorum officio a *DEO* destinata sunt? Imo, semper. Ministri enim & emissarii sunt humorum, ex chylo-ferositate provenientium.

Obiicerent: quâ concludamus, subtiles has vasorum extremitates continuum motum exercere? R. Lectum dormiendi causa petentes, vas aliquod ad eliminandam urinam quaerimus: Evigilati, vase rursus prehenso, corpus onere suo liberamus: semper secretionem ope exilium renum vasculorum fieri, certum est: per consequens sanguis, vigilantibus aut dormientibus nobis, motum non sistat, absolutae necessitatis erit, alias fatalis homini hora imminebit. Eadem quoque musculorum & fibrarum motricium est ratio, in ventriculo, intestinis continuo motu laboriosissimorum, cuius summus ille & Celeberr. *Hecquet*, Med. Dr. & laudabilis Societ. Paris. membrum dignissimum, in elegantissimo Tract. *de Trituratione cibi in stomacho*, certiores nos reddidit, illudque locum sibi in intestinis vindicat.

Adde, motum respirationis, vigilantibus vel dormientibus nobis, perpetuum esse, cui exsequendæ musculi, pulmones una cum corde continuo suo motu respondent: hinc, cum perpetuum circulum describant, vasa illa sanguifera & lymphatica motum nec possunt, nec debent inhibere, alias actum est de vita.

Nova hac allegata observatione demonstro quoque, de quo per tot lustra altum fuit silentium, ramificationes magnorum vasorum sanguiferorum (scilicet, *Arteriae magnae, Venae cavae, Venae portae*, vel *portarum*, tam in substantia quam usu suo penitus esse dissimiles. Res, me iudice, summae utilitatis, qua plurimi errores ostenduntur.

In Operibus meis nonnullos iam ramos delineatos reperies; ne vero hoc solum de vasis nostris sanguiferis praedicari, scias, accedit &, quod vasa succosa pyrorum aliorumve fructuum, quae totam eorum substantiam fere constituunt, à se invicem discrepent, de quo suo tempore, *D. V. in Dec. Advers. IV.* fusius.

Des mihi hunc in finem partem quamcunque hepatis, cuius vasa sanguifera materia ceracea rubra impleta sunt; demonstraturus sum, hanc, per *Venam portae*, illam, per *Venam cavam*, aliam partem, per *arterias* infusam esse. Non-

ne ergo adferendum, & pro vero accipiendum erit, unicuique in confectione exsequenda peculiare quid a DEO destinatum esse? Et unica sapienti providentia eius?

Supra memoratus *Dr. de Graaf*, incomparabilem *Pancreatis* delineationem in *Tract. suo de Partibus Generat.* exhibuit; nil vero singulare de vasis sanguiferis tractavit.

Tum temporis iam cum plurimis aevi praesentis Doctoribus, *Secretio! Secretio!* clamabant. Quæso, quid est Secretio? sine antegressa confectione per vasa, emissariis & ministris nempe, *mediante chylo-serositate sanguinis*, per quam serosam sanguinis materiam, in arteriis contentam, intelligo; cum vero nil huius in venis observetur, *sanguis* hinc inde *serosus* dicitur, dudum iam ita definitus, vel *serositas sanguinis*, quoniam a principe succo nutritio & chylo orbatus est.

Movent hic; modum secretionis dicerem? R. Hoc ultra sphaeram hominis, sapientiae divinae soli relictum est; & ultra sapere nolle, ac DEO placet, est *eruditum nescire*.

Hic pedem figerem, & satis superflua me retulisse, putarem. Ast, neutiquam! Artis etiam erit, cadavera haec, ceu viva apparentia, non per diem unam alteramve, septimanam, menses, sed per multos annorum decursus, sine ulla nitoris faciei mutatione, asservare posse, ut vivum, hilarem, sanum te semper conspiciere hominem, respondere possis, uti supra me dixisse memini.

Nonne Tibi, L. A. magnum hoc videtur? Verum dixi, & adhuc repeto: **VENITE! ET VIDETE!**

Magnus ille Russorum Imperator, iam in coelis triumphos canens, habuit Obiectorum horum prototypa, & adhuc asservantur, quae praeterlapsis viginti, triginta, & quod excurrit, annis, mortua fuere. Rursum monenda quaedam Tibi sunt, L. A. scilicet: Obiecta nova, per quinque vel sex annos in nova mea collectione asservata, cui me de novo per VIII. annos totum mancipavi, non sine praestita Filii mei opera, praeparata esse.

Perfuadeo mihi, corporibus, quae Russorum Imperator a me accepit, magnam, in perpetuam asservationem, impendi curam; cum tantis me honorum documentis cumulare dignatus fuerit, ut in Anatome corporis humani eiusque partium

tium se a me Doctore clementissime instrui voluerit, & ita profecisse mihi quam maxime gratuler, ut omnium suffragio, singulari eloquentiæ flumine de his ita differere potuerit, ut Professoris disertissimi facundiam longe superaret.

Ut unicuique satisfacerem, necessarium, ut monui, erat, partes has conservare, ut quavis oblata occasione dicere possem: **VENITE! ET VIDETE!** illudque antehac inauditum erat. Acutissimi semper Anatomici partes Professor *van Horne* promerebat; omne vero, quod præparaverat, solo brachio humano includebatur, quod, musculis summa accuratio- ne ab invicem separatis, in sale asservabat. Unico hoc excepto, nullum Obiectum ostendebat. Et hoc tempestate serena serenum videbatur, humectante vero, perpetuo sale de- fluente.

Duos & sexaginta per annos præparationi & asservationi totus vacavi, & me Dr. *Swammerdam* insequebatur, in præparandis peculiaribus corporis humani partibus inclutissimus, & hoc aevo, res ita nota, ac prius ignota fuit, evasit: ea tamen differentia, ut præparatio & conservatio, omnibus huic se applicantibus, pari quidem modo, ast impari utilitate innotuerit.

Regn. de Graaf, perspicacissimus Anatomes rationalis Professor, literis una vice præparationem a me exigebat. (*Ad illud enim, scribebat, felici sidere natus es*)

Hospites nunc ad me invisentes, & præparata mea, tanto splendore gazophylaceo meo imposita, videntes, ceu viva omnia admirantur, dicentes saepius, quorsum illud? R. Quorsum magna illa defunctorum monumenta, quorum deliciis vermes foetidissimi, non invitati ad prandium, tanto appetitu delectantur? Quorsum integumenta illa artificiosissimi & pretiosissimi operis? Ego Obiecta mea hunc in finem externo illo splendore conspicua reddo, ne hominibus, a natura pro mortuis, eorumque dissectis partibus, terrore oppressis, terrorem nimium incuterem. Secundo, ad denotandum honorem & præstantiam animae, in hoc non inamoeno hospitio habitam; Hinc, splendorem hunc neminem mihi vitio versurum fore, spero.

Propius rem accedamus. In *Dec. III. Advers.* in specie insolitum quid annotaram, quod in gratiam obstetricum, præsentibus

tibus Inspectoribus *Colleg. Medici*, ad tempus professus sum, absentibus nimirum his nil illis demonstratur.

In his lectionibus meis me dixisse fabulantur, placentam, post foetum editum, non esse expellendam, sed ordinarium depulsiōni tempus esse concedendum, donec a natura ipsa expellatur. Num mentem meam male intellexerint, vel male interpretati sint, non urgeo; Dominos Inspectores iudicia haec detestatos, nec figmentis his adfensuros, certo scio. Illud tum temporis tantum intendebam, placentae uterinae, utero firmiter applicatae, nullisque consuetis lenibus mediis flexili, consultius esse, ordinarium ante ad depulsiōnem tempus largiri, quam nimis festinantibus & periculosis remediis eam expellere velle, de quo iam fusius. Quod praeterea, in lectionibus modo propositis, tanquam extraordinarium quid, demonstrabam, erat inauditus ille & nunquam observatus, haud ita pridem a me DEI auxilio, in fundo uteri defunctae cuiusdam puerperae detectus musculus, cuius iconem, in *Decad. Advers. III.* praeter votum meum parum accurate delineatum, in *Tractatione* hac accuratiorē exhibendum iudicavi.

Est *Musculus orbicularis*, id est, *musculus* ex fibris circularibus constans, quarum substantia fere admodum crassa videtur, ad praestanda obsequia a DEO demandatus, scilicet ad depulsiōnem placentae, secundinarum foetus.

Musculus hic nonnisi in puerpera mortua, prolem iam enixa, invenitur; & haec causa sane est, quae per tot retro lustra sepulta & ignota mansit; eo quod cadaver in hoc statu, mortuo nempe, longe difficiliter secari, nec Obiectum hoc, subtilitate debita, praeparari queat, quo deinceps dicere valeamus: **VENITE! ET VIDETE!** alias nobis nulla fides!

Nova haec observatio longe lateque iam personuit, ut multi exteri me consulerint; & iam *Musculi Ruyschiani*, eadem ratione, ac *Musculi Pyramidales* ab inventore suo *Musculi Fallopiiani* dicti fuerunt, nomen indiderint.

Quum itaque placenta haec, musculo huic apposita haeret, quod plerumque secundum naturae cursum evenit; tum placenta, (princeps secundinarum) mature & sine mole per musculum hunc depellatur: at, quando loco perverso lateri eius annititur, ut musculum in auxilium vocare nequeat, id est, si

extra sphaeram aetivitatis, sita est, tum placenta tanta violentia crebro adhaeret, ut non nisi vi extrahi possit: & hinc illae lachrimae! tumor abdominis & immodici in eo cruciatus, febres perpetuae, aphthae, dysenteria, retentio ita dictorum lochiorum, &c. quae symptomata, vel repente, vel post dies aliquot, ipsa fatalis hora subsequitur.

Tum causam subitaneae mortis anxie nobis inquirentibus, respondebunt: contra vim mortis, non est medicamen in hortis! vera quidem regula; verum enim vero nonne aliquando media vel male neglecta, vel pessime in nostri salutem adhibita fuere? Nonne consultius fuisset, placentam firmiter adhaerentem, nec commode flexilem, ita, ut tum temporis non nisi lethali vi extracta fuerit, nonne, inquam, consultius fuisset, ut eam ad tempus adhuc reliquissemus? me iudice, puto quod sic! De hoc igitur ex professo.

Obiiceret forte quis, nonne plures rationes, praeter explicatas, pro placentae constrictione, militare poterunt? R. Poterunt. Dudum iam in operibus meis publico exhibui, placentam uterinam duplici integumento, cuius utraque superficies includitur, involvi. Integumentum ergo, quo utero iungitur, & quod a Chorion productum est, aliquando in naturam Tartari vel in duritiem lapideam albam degenerans, hoc efficit, ut superficies uteri modo dicta, in eandem cum Chorion naturam transformata, alternatim arte unita haereat.

Verum possibilitatem, quomodo nempe interna uteri superficies admodum molli in hoc statu praedita esse possit sensibilitate, evitata licet omni molestia, uterus inversus, ex puerpera misere agitata excisus, evincit, ubi particula quaedam, per secundinarum depulsionem tanquam eradicata, & corrosa compages apparet. Et haec inopinatum horum adfectuum mortisque imminentis causa princeps fuit.

Ultimo, causa etiam pro adhaesione placentae haec venditari poterit, quando funiculus umbilicalis in medio placentae uterinae formatus, non vero ad latera positus est; quod experimentum illustrabit; sumas partem corii sphaericam madefactam, magnitudine imperiali proportionatam, huic in medio filum appendas, & contra lapidem, in plateis situm, magna vi comprimas, videbis, quod lapidem facile eruat; si vero experimentum
cum

cum filo, lateri alterutri corii appenso, institueris, lapidem aegre fundamentum, cui innititur, deserturum.

Insequuntur multae difficultates decidendae. Ecce! hoc opus! hic labor! Viro mihi grandaeva senecta vexato, quibus insimul sententias adversus rem propositam aniles removere placet.

Primo, *L. A.* difficultates quasdam tibi proponere, & secundinas concernentia, in Tractatu hoc enarrare lubet, quae aequae in his, ac in exteris oris *tanquam in concussum* habita fuere, scilicet, secundinas foetum editum eodem puncto, non interrupto ordine, insequi debere. Quaeso, num opus hoc tam arduae & immobilis necessitatis esse arbitraris ut ante surgere nolint, quam secundinas simul extractas ostentare possint, sed, his si rursus me contradicentem audiunt senem? me omnes insultaturos esse, scias! Nonne ad exemplum *Pauli* obloquerentur? Nonne adversarii mei me insanire, clamabunt? Verum, obganniant tandem quid velint, constantia & perseverantia in defungendo rite officio palmam omnibus praeripiet. Egone, cuius humeris hicce labor impositus est, anxius secreta illa vitam salutemve nostram promoventia, celarem?

Abfit, facinus infandum! **DEUS** summe bonus haec ad conservationem miserarum, per me orbi communicare voluit, fiat ergo voluntas eius, & repetita vice repetito, dicant, quid velint! **DEUS** nemini, in fiducia cordis coram eo ambulanti, & ad ultimum usque halitum perfectionem proximi sui promoventi, gratiam suam denegabit.

O tristibus illis adfectibus, praeterlapso *L.* annorum cursu, multis interfui, & hilares, vegetas, nullo unquam morbo oppressas, labores superatas, onere suo liberatas feminas praeter spem & expectationem mortem subiisse vidi, nulla alia ratione, quam ex defectu verae cognitionis, genuini ad depellendam placentam uterinam inserviendi modi, quam nondum laxatam non nisi imminente vitae periculo extrahendam consueverunt, & dicenti mihi, velim, applicatam adhuc patiamini;

mini; fat cito! si fat bene! lecto, ut requiescat, reponatis; mihi quidem hoc responsi dederunt: Quid? num secundinae remanere debent? Ita, seculo barbarae ignorantiae homines, verae cognitionis lumine privati, multis, proh dolor! vitae filum abrumpebant, & quamvis, rarissimo exemplo, quosdam ex mortis faucibus ereptos videmus, quaerelas insuper de obstetricibus, pessime artes suas excolentibus, motas, indies audimus. Quantas hinc inde *DEO* omnipotenti, in lucem nos redacto, grates referemus.

Secundo; Introducendae novae, insolitae, nunquam descriptae methodo longe difficulter calculum addere volebant, diversum plane in puerperis adiuvandis, modum antiquum ubivis invaluisse summo rigore urgentes. Illico repudiarent me, muneri obstetricio incumbentem, quando placentam, non simul post partum eductam, ostentarem, & extemplo magis peritae obstetricis suae opem implorarent: tum, hoc rerum statu, verendum erit, ne incensa obstetrix nimis imprudenti & coeco impetu ageret: nam dummodo se placentam uterinam, licet plurimum per frustra eradicatam, (cujus non semper certiores nos praedicare possumus) eduxisse, iactare possit, symptomata explicata, imo mors immineat, nec ne, culpam in nullum redundare gloriabitur, quid? quod si tum eam praecipitantis imprudentiae & criminis ream damnaveris, illibatas se extraxisse secundinas, & contra vim mortis non esse medicamen in hortis, lepida responsione sese defendet. Ita causam suam optime defendisse persuasissimae erant; & ita causa quoque haec per tot lustra, infallibilis oraculi titulum promeruit. Rem proh dolor! mirandam! deplorandam!

Observatio ergo detecti novi musculi, ad depulsionem placentae destinati, cautius mercari docebit; id est, quod si placenta nimis adstricta, nullis lenibus remediis veniat, puerpera, defatigata puerperio, reponatur, donec vires amissas recuperaverit. Haec *curatio* dicitur *per expectationem*. Dein clyisma leniens & parum stimulans, (si necessarium iudicatur) aliud emolliens & discutiens applicetur, cui etiam cordialia interserviunt. Verum media haec negligunt, putantes, ante placentae expulsionem non esse surgendum, cum corpus dein reiterata vice sese contrahere inciperet.

Quod

Quod de partibus sese contrahentibus allegarunt, illud non in instanti, ac quidem fabulantur, sed post dies demum aliquot fieri, notum est: Posito, partes contrahi, placentae uterinae corpore in parturiente adhuc remanente; longe difficiliorem tamen adfectum sibi imaginantur, haud quaquam tam periculofum, ut mors inde causetur; aliquando non verentur, rei difficultatem puerperae indicare, aut puerpera, per relationes illas in aures praesentium factas, periculi aliquid subesse ominatur, & ita, summa praecordiorum anxietate se ipsam crucians, animi deliquium patitur, multisve malis repente ingravescens portam longe patentem aperit. Consultius hinc erit, parturientem lecto, ut quiescat, reponere, donec placenta remansa demoliatur & maturescat, puerperae confortantibus remediis erit succurrendum; tandemque, post novos conatus successivos placenta illibata expellitur. *Exp. Doctori van Bronckhorst* in recenti haerebit memoria, se casum aequalem in certa quadam foemina illustri, eodem adfectu macerata, observasse; placentae constrictio eadem, ac in priori casu, erat, quae sagacissimam & solerti obstetricis manu, omni licet lenitate agitata, non erat separanda. Illud obstetrix indicebat: O! si omnes vestigia huius in adiuvandis parturientibus premerent, quae non inde mala evitarentur! quae non inde salus in publicum redundaret! Me quoque adiutorem vocaverant, nil ergo temporis consumpsimus ambo, sed ut lecto reponeretur, festinavimus. O! qui leniter & iuste sine ulla mole placentam, post breve horarum spatium, a natura per matricem, uno impetu expulsam, nobis gratulabamur.

Notandum: Placentam hanc insolita licet unione utero applicatam, post breve horarum intervallum] nihilo secius tanta mollitie avulsam fuisse, ut uno impetu per uterum eiacularetur.

Haec non inde eo refero, ac si plura mihi exempla ad demonstrandam rei veritatem deficerent; longum foret, si mihi omnia enumeranda sumerem, quibus tamen tempus inutiliter tererem.

Ut brevis sim, scias L. B. nullam puerperam ex adstricta & remansa secundinarum mole, tempore plus quam L. annorum, quo mihi Professoris in arte obstetricia sparta, ante me nemini oblata, humanissime demandata fuit, obiisse, nisi

placentam uterinam nimis atroci nisu per frustra eradicare voluerint.

Familiare mihi etiam fuit, eandem per dies, septimanas, quid? quod menses in utero retentam, & tamen feliciter expulsam fuisse, *id quod notandum.*

Quae ergo imprudentia, quae obstinatio & quodnam praeiudicium animos iudiciave vestra corrupit, ut festinanti praecipitantia eam avellere, nec tamen absque imminente vitae periculo separandam, intendatis: O! insaniam! quae praeiudicia haec in mentibus vestris enata sunt? quae, quaeso, tantas radices egerunt? Est certe nodus hic Gordius, quem non sine admiratione rumperere valeo.

Ex supra abundanti hoc adhuc referre placet: Adferunt, retentae placentae molem in purulentam redigi materiem, quae uterum inficeret, & foetorem inficientem exhalaret, &c. R. Dicitur quidem, a me nunquam observatum nec demonstratum fuit! imo veritati contrariatur: impossibile enim, unicum pro probanda thesi adferri posse exemplum.

Verumne videbitur, quod de putrefactione partium adduxere, cum ne unica mihi, de hac, observatio unquam abveniret, etsi per duos supra sexaginta annos in secandis & obducendis diversis cadaverum foeminarum generibus omnem operam impenderim? Cum igitur infantes ante annum iam mortui, sine ulla putredine in utero materno retineantur; multo magis secundinae pluraque alia, cum notum sit, placentam partem foetus, non vero uteri existere.

Hanc observationem (DEO *volente*) in *Dec. IV.* me in scenam producturum spondeo. Idem etiam in vitulo me observasse, scias, qui semianni spatio mortuus in utero vaccae sine ulla corruptione, aet tamen nimis flaccidus & languidus, detentus erat; (par est ratio cum infantibus, per menses in matrice occulte latentibus,) vitulum sectioni subieceram, & vasibus sanguiferis repletis, partes adhuc ceu vivas praeparavi, ejusque cerebrum, (materia subtilissima) summo se splendore in *Curis meis posterioribus* exhibet: Semper vacca erat obesa & vegeta, quam in horto civitatis huius medico maectatam, hortulanus, *Cornelius Vos*, cum tota sua familia in bona charitate consumpsit. Ex his colligere datur, his similibusque fabu-

fabulis, quae ex praeconcepta hypothefi veritatis speciem nactae sunt, & adhuc antiquum obtinent, fidem non esse habendam.

Diu iam pro cathedra obstetricibus inculcavi, placentam annexam violenta manu non esse divellendam, verum praestare, (si nullis mediis lenientibus flecteretur) ut ad tempus annexam patiamur, nec ultro festinemus: monita vero mea repudiarunt, & manibus pedibusque resistebant, contra dignitatem earum fore putantes. O allacinatio!

Post detectionem ergo modo descripti musculi, & deplorandi illius adfectus, quem in puerpera, infimae plebis femina, observaveram, cuius placenta, inter depulsionem firmiter adhaerens, violenter, non nisi laesa interna sensibili uteri superficie (ut mihi videtur) expulsa fuit: non amplius morabor, sed observationes meas maiori animi constantia in usus sequioris sexus proponam, qui mihi multa debet, debet autem plurima, & habet iam, quare tacere, nec figmentis his impofterum evulgatis consentire poterit.

Puerpera haec in suo puerperio mortem oppetebat, id quod in plebe praesertim me saepius expertum fuisse, doleo; verum, quomodo uterus eius constitutus esset, mihi notum esse non poterat; donec post preces reiteratas corpus secandum, & *mediantibus illis* uterum domi inquirendum extradebant. Res sane non parvi momenti! domi sumere, eum condire, & quacunq; occasione exclamare posse: **VENITE! ET VIDETE!** hunc ego arte mea ceu vivum praeparavi, ut nescires, num hodie, num diu iam praeparatus fuerit.

Judices, velim, L. B. quam aegre nobis puerperam, cultro Anatomico examinandam, eiusdemve partes domi inquirendas, concedant! uti in praecedentibus me dixisse memini, sine quo tamen, observatio haec utilis aequae ac salutaris, salutem imbecillioris promovens, sopita mansisset: consequenter, quae non inde lux cognitioni huic accederet, si exemplum hoc sequerentur omnes, in quorum libertate positum, ut mortua cadavera sectionibus anatomicis, quibus nil mali, sed multum salutis inest, subiicere possent, de quo insigni usu rariores Observationes in Operibus meis descriptae, ut & errores in iis refutati, quae per tot secula generali consensu

sensu recepti fuerunt, multo clariori documento testantur.

Sperandum ergo, quod posthac pleniori mensura verae cognitionis cumulus nobis accedat.

Non vulgarem adhuc observationem, apprime modo dicta explicantem proferam. Nunquam a ruricolis & veterinariis audimus, quod ex retentis secundinis vitulinis mortem vaccae augerentur, non obstanti numerosa XL. L. imo LX. placentarum mole, qua secundinae circumductae sunt, quarum nonnullae, magnitudine fere aequali, aliae in totum placentae corporis humani proportionatae observantur, cujus rei prototypa in nova Collect. videnda praebeo.

Qui vero evenit, ut tanta placentarum moles in secundinis animalium, in feminis autem unica tantum reperiatur? Quae ergo nos necessitas movet, ut in unicam hanc ad depulsionem sese disponentem, tam anxie inquiramus, ut vi expellere velimus, cum tamen (ut supra dictum) sagaci solertia separanda sit. Monui quoque in antecedentibus, quando accidit, placentam uterinam totam remansisse, quod adfectui huic longe graviores difficultates, ex subsecutura ejus putredine oriundas, imminere sibi imaginentur, nempe, quod uterus inficeret mortemque causaretur. Dubium proponerent, num per dies, septimanas & menses remansae, metamorphosin paterentur? R. Patiuntur, & in aliam naturam transformatae, vel in *Hydatides*, id est bullulas aquarias, vel in massam ex fecali compressam similes, transeunt.

Hae vesiculae aquariae numero incredibiles deprehenduntur; initio admodum exiguae, tum magnitudinem partis superioris aciculae adaugent, dein in feminis cannabis, rursus in pisorum, unionum, denique in eum excrescunt numerum, ut amphora vix ac ne vix quidem capi possint.

Hunc adfectum hydropem placentae uterinae voco, cuius intra XIV. dierum spatium bis certior factus sum, & nullo cruciatu miseras opprimi, sed feliciter posthac ea liberari, comperi.

Obiectum hoc, plus quam una vice collectum, indies demonstrandum, asservo.

E contrario, quando formam massae ex fecali compressae similem adeptae sunt, hoc aeyo pro molis volantibus habentur,

tur, cuius denominationes aequae ac relationes superstitioni inperstructa sunt, prolixiori dilucidatione parum indigentes.

Dixi igitur, prole enixo, secundinas iuxta lenique opera, nulla plane vi esse expellendas. Quodsi placenta separata est, nullo conatu opus erit, sed sponte expellitur; si non, funem umbilicalem sine ulla attractione agamus; miserae consulimus; ut leni conatu & renifu successivo eam deprimere, nervos intendat; si nondum recedit, puerperam pedibus suis erectam sistimus; renifum sine ullo tremore & conservatione mentis, subsequutum fore, confidimus; abdomen oleo Cammillae, vel unguento quod de Althaea conficitur, obvolvimus; clyfma emolliens substituimus; remedia ad mitigandos dolores praescribimus; nullo tristi aspectu mali cuiusdam indicia indicamus; linteis calefactis abdomini adhibemus.

Me dicturum fore, hariolaris, *L. A.* funem umbilicalem una manu arte esse tenendum, indice vero alterae manus digito, iuxta funiculum impresso, placentam prope extremitatem funiculi esse perterebrandam. Hic me observatorem, observes, peto. Operationem hanc, scriptores quidem in operibus suis per figuras delineatam prae ceteris commendarunt, & ubivis usu receptam fuisse certo constat, & ego quoque hanc in lectionibus meis, omnibus saepe iniunxi; verum per detectum hunc novum musculum, & per observationes impraesentiarum descriptas, melius informatus, operationem hanc non aequae saluti promovendae accommodatissimam esse, experior, nec dubito, quin me suaforem, auscultabunt omnes, nec sine antecesso examine, generali consensu approbationis operationem hanc laudibus evehent, praesertim, si argumenta mea probe pensitaverint, imprudentemque illam in procedendo praecipitantiam, removendam, cuperent.

Insuper etiam per observationes edoctus sum, indicem digitum non quamcunque placentae uterinæ molem una cum tunicis suis levi opera perterebrare posse, tum quod placentae unius compages, alteram duritie longe superet, tum, quod manus, & inprimis digiti obstetricum in expellendis infantibus (quod si difficiles partus fuerint,) impotentes reddantur, tactusque non nihil obtupefcat quando de novo in amolienda placenta nervos omnes intendat; hoc non parvi faciendum erit, sed placentae applicatae separatio tempori potius committenda, & puer-
C
pera

pera lecto reponenda foret, ut itaque omnes nunc adhortatos, velim, ne precarie nimis, operationem hanc ceu accuratissimam praedicent.

Porro, sicco in tract. mea praeterire pede, nefas duco, nempe, enixionem, duplicem depulsionem insequi; depulsionem partus, & post hanc, secundinarum vel placentae, & unicuique in secretionem diversos inservire ministros emissarios; depulsioni namque primae, vel partus opem praestare, non solum omnes fibras uteri motrices, numero plures, & diversimode circumrotantes, facilioremque partui depulsionem undiquaque promoventes, sed etiam musculos abdominis: secundae vero, haec est, placentae expulsionem novum hunc musculum destinatum esse. Falsum ergo, quando duplicem hanc depulsionem, ad diversos effectus producendos, destinatam, eodem temporis puncto insequi debere, iactitant. Plurimum, secundum naturae cursum, partus in depulsionem primas, placenta secundas partes tenet; non raro etiam placentae moles maturior existens, ante foetus partum expellitur, quem eventum non adeo salutarem pronuncio; quando enim hoc rerum statu partus illico non insequitur, mortuum saepius expelli conspiciamus: praeter ceteris necessarium iudico, funiculum umbilicalem, si in separanda placentae mole occupamur, nulla attractione (uti commendavi) repetitis vicibus esse commovendum, alias enim placentam & fundum uteri simul extraheremus; hunc adfectum observantibus nobis, nec illico uterum in ordinarium situm reducentibus; uterus intumescet, ut dein reduci non poterit; & sic puerperas, miseras has, brevi horarum spatio, denatas, videbis. Sollicita ergo cura, in processu hoc, opus esse, publice declamo.

Mali huius indoles nonnunquam soli validissimo conatui parturientis in expellendo puerperii sanguinem natales suos debet, licet nulla attractione funiculum agitaverimus. Propria observatione expertus loquor, qui non una solum vice adfectui huic praesens adfui; sed etiam a malo feliciter liberari posse, dummodo illico subitanam operam praestemus, observavi. Ante L. annos, cum nemo in informanda arte obstetricia, hic Professoris munus subibat, symptomata haec frequentiora, ac nunc quidem, erant, nec ullam mali huius naturae rationem sufficientem dare poterant. Cum me vocabant, frustum aliquot carnosum parienti ex corpore propendere, referebant, quod alii per *mo-*

lam perperam definiebant; alii plane monstrum pronunciabant. Tum temporis bis una die vocatus, malum hoc deploravi; post lectiones autem publice institutas longo annorum serie occultum fuisse, unico haud ita pridem renato casu excepto, laetor.

Antequam filum abrumpam, his singularem adhuc observationem subiungere lubet. Insolita erunt, quae per demonstrata de putrefactione secundinarum imaginaria post prolem remansarum, & de infectione uteri in medium protuli. Huic adserto contradicens, defendebam; secundinas non uteri sed tantum partus esse partem, & experientia magistra evinci posse, semper expelli, non obstante, an maturo an immaturo tempore expellantur; & ex his concludebam, quod, quo minus infans mortuus vel per anni spatium in gravidis sine ulla putredine remaneat; eo magis secundinae sine ulla uteri infectione remanere possint. Contra assertum hoc sequentem in modum ratiocinabantur; num non infantes in utero materno mortui, putredine corrumpentur? Respondi; quod corrumpentur, cum nonnulla circa Obiectionem hanc observaverim, quæ in *Dec. IV.* Deo providente ex professo pertractare animus hæret, observationum mearum prototypa per duos supra LX. annos a me collecta simul descripturus.

Hæc sunt, *L. A.*, quæ tibi communicanda duxi, humanissime rogans, in meliorem interpreteris partem; de omnibus quidem Latino idiomate provulgatis observationibus *Te* certiolem reddidissim, scias, nisi circulos meos, uti dixi, opus hoc in signe turbare videretur. Abunde iam rationes praelectionum mearum percepisti, & post partum enixum, principem in rite expellendis secundinis, curam esse, me observatorem & demonstratorem comperisti; imo, me quoque professum esse, separationem placentae nimium adstrictæ, tempori potius committendam, quam vitae periculo per frustra & partes esse eradicandam, operationemque hanc, cum plurimum vi peragatur, repudiandam fore, fateberis; verum enim vero, quod si partus in extremis hæserit, & in aggregato cruore, placenta aliquantum avulsa, aliquantum etiam adhuc adstricta, expulsus sit, tum (*cum ex duobus malis minus eligendum,*) me dixisse etiam, in casu necessitatis summæ aliquid permissum esse, quod alia circumstantiarum facie reiiceretur, libere pronunciabis.

Qui optarem, ut hæc obstetrices, parturientes in expulsionem adjuvantes, animis suis firmiter imprimerent; sane, saniore animi con-

scientia post operationem ita institutam, domum recedere, seque in expellendis secundinis & placenta nullo violento & imprudenti conamine, occupatas, fuisse, licet omnes relati adfectus, imo ipsa mors insequeretur, convictissimae & innocentissimae iure esse possent.

Cape ergo, *L. A.* lectiones meas, quorum testes *Inspectores Collegii Medici*, his semper praesentes auditores in arenam produco, & iudicia illa malevolorum, non nisi ex curta cerebri suppellectile sparsa, summa me patientis animi moerore, concoquisse, certo certius scias. Hanc insuper ingrati aevi nostri mercedem omnibus pro fideli informatione remanere tuo exemplo ipsemet comprobabis.

Vela igitur contrahens, labores meos **DEUS** summus in coelis benedictione sua ulterius ratos habeat, precor, & casus hos ex imprudenti placenta annixae depulsione enatos, benignissime avertat, animitus voveo, quo revelationem absconditi huius mysterii unice gratiae divinae acceptam feramus, ex in praedicandorum divinorum benefactorum cumulo non tacita, sed alta & hilari voce, gratissimi **VENITE! ET VIDETE!** exclamemus.

Ceterum, *Te, L. A.* obsecro, ne *tibi* vane imagineris, me **Tract.** hanc impraesentiarum explicatam, ardui momenti, cui vita, salusve publica innititur, publico propterea revelare, ut me per observationes meas, mysterii huius interpretem, temeraria iactantia clamitem: sed antequam publico examini exhiberem, iudicii lance accurate pensitavi, & propositum meum, in incrementum totius reipublicae proponendum esse, **Celeberr. Profess. Doctores, Chirurghi, obstetricum magistri**, aliive ingenio & iudicio perspicacissimi iudicarunt, qui multis precibus contenderunt, ne observationes has sepultas paterer, sed universo orbi patefacerem. En! non detrectavi, sed, quae mihi innotuerunt, in **Tract.** mea lubens. **DIXI.**

E X P L I C A T I O

F I G U R A E.

A. Fundus uteri, puerperae cuiusdam, inversus.

B. B. Musculus internus, depulsioni placenta uterinae inserviens; & ex fibris circularibus constans.

C. Conus prominens interni, & inversi fundi uteri modo dicti.

D. Fibræ circulares subtilissimae.

